





1950 76 41  
DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA

DE

PVPILLARITER SUBSTITVTO  
HEREDES LEGITIMOS PRAE-  
CIPVE MATREM PVPILLI  
EXCLVDENTE,

INDVLTV

ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS  
PRO  
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

RITE CAPESSENDIS

D. XIV. OCTOBR. A. MDCCL.

DISPVTABIT

PHILIPPVS IACOBVS HEISLER


ALGOIA-SVEVVS.



HALAE MAGDEBURGICAE  
RECUSA IN TYPOGRAPHEO HENDELIANO

M D C CLXV.

(8)





DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
**PVPILLARITER SVBSTITVTO**  
**HEREDES LEGITIMOS,**  
**PRAECIPVE MATREM PVPILLI**  
**EXCLVIDENTE.**

§. I.

**S**ubstitutio est heredis vltioris heredi, anteriori instituto subordinate facta institutio.  
Substitutio-  
nis defini-  
tio.

i. Pone hoc vtriae voluntatis elogium: *Titius mibi heres esto: si Titius mibi heres non erit, Seius heres esto.* Hic prior Titius heres instituitur. Ut ne vero hoc deficiente testamentum fiat destitutum, & contra testatoris voluntatem ad heredes legitimos, forte de testatore male meritos, hereditas perueniat, testator eidem alium adiunxit heredem vltiorem, sed subordinate, ita ut non ambos

A 2 simul

4 De pupillariter substituto heredes legitimos,

simul hereditate potiri voluerit, sed hunc demum illo ea non potituro, seu, quod idem est, ita ut Titius primo. Se-  
iis vero secundo gradu scriptus sit heres. Caeterum is,  
qui nullo anteriore herede instituto heres institutus est, di-  
cirur heres primus, item institutus, qui in nostra I. ecie  
est Titius. Qui vero alio quodam herede anteriore insti-  
tuto eidem subordinatus institutus est tanquam heres vi-  
terior, substitutus audit, qualis in nostro exemplo est  
Scius.

2. Noli hanc definitionem strictiorem suo definito vo-  
care. De ea enim sola substitutione mihi iam sermo, quae  
in materia ultimarum voluntatum celebratur. Evidem  
non ignoro illos iuris nostri textus, qui de substitutione  
arborum in locum demortuarum, de substitutione peco-  
rum in locum capitum defunctorum &c. loquuntur l. 18.  
l. 68. §. 2. l. 69. ff. de vñfr. Ast quid haec ad me? Ve-  
rum neque omnis substitutio in materia ultimarum volun-  
tarum obvia praefentis obiectum dissertationis erit. Il-  
lud solum substitutionis genus iam sollicitum me haber,  
quod famosissimum est, successionem vniuersalem respi-  
ciens, h. e., de heredum substitutione iam verba facio.  
Interdum in sensu latiori accepta substitutionis vox etiam  
legatariis & mortis causa donataris applicatur e. gr. in  
l. 50. pr. de leg. 2. & in l. 10. ff. de mort. caus. donat. Sed,  
dixi, haec nihil ad me. Ad ipsam definitionem quod at-  
tinger, ea equidem non verbis, reple tamen cum DD.  
tantum non omnium definitionibus conuenit. Certo ple-  
nique substitutionem vocant institutionem heredis secun-  
do vel vltiori gradu factam. VINN. commentar. ad I.  
tit. de vñf. subst. num. 3., vel secundi (quo nomine etiam  
tertio vel vltiori gradu scriptos comprehendunt), her-  
dis institutionem VINN. cit. loc., vel surrogationem se-  
cundi vel vltoris heredis in locum prioris. SCHAVM-  
BVRG. in comp. iur. Digest. §. 1. b. t. Quae verba quid,  
quælo,

quaeso, innuant aliud, quam quidem id, quod mea? Hoc quin moneam, non possum me abstinere, esse non paucos, qui substitutionis definitioni inferunt verba: in locum heredis prioris *deficientis*. Sed qua rume ratione, quoque pacto saluare queant substitutionem fideicommissariam, quam tamen substitutionis speciem constituunt, ipsis viderint. Certe in hac heres prior non ponitur deficere, sed hereditatem adire, id quod ex ipso huius substitutionis conceptu mox patet. Huius farinae sunt LUDOVICI in doctr. Pandect. §. 1. b.t. SCHOEPFFER in synops. iur. priu. rom. & forens. §. 1. b.t. HEINECC. in elem. iur. civil. §. 55. aliquie, quos inter & B. BOHMERVM refero in *Introd. in ius Digest.* §. 1. b.t. qui tam ipse mox in §. 2., cum eum hoc incommodum advertereret, monendum duxit, substitutionis definitionem a se in medium allatam ad substitutionem fideicommissariam nec applicari, nec eam proprie substitutionem salutari posse. Confer in hanc rem praeterea ECKOLDV M in compendi Pandect. tractat. §. 2. b.t. Verum nec a mente legum aliena est mea definitio, quod vel sola iur. pr. ff. b.t. perspicuum dat. Ibi: *instituti vocantur heredes, qui primo, substituti vero, qui secundo vel tertio gradu scripti.* Qae verba profecto, si non sapio nihil, tibi haud volunt aliud, quam quidem hoc, substitutionem esse heredis vltioris institutionem, heredi anteriori subordinata factam. Et quamvis in cit. loc. substitutus opponatur instituto, adeoque ego substitutum *institutum* & substitutionem *institutionem* perperam nominasse non nullis videri queam: tamen salua res est. Sumitur enim in lege vox instituti in oppositione ad substitutum, argue ita in sensu paulo strictiori. Ego vero cum in mea definitione institutionis nomen acceperim, nulla habira istius oppositionis ratione, pro qualibet legitima voluntatis declaratione, qua quis sibi successorem vniuersalem determinat, sive subordinate, sive non, sive primo, sive ultiori

## 6 De pupillariter substituto heredes legitimos,

riori gradu: in sensum cum lege prorsus eundem incido. Denique non solum nulla nostra definitio laborat obscuritate, cum, quos in ea terminos dedi sine ulteriori explanatione, eos cuius, qui iuris nostri elementa vel primis labiis gustauit, notos esse atque perspectos merito credam: sed & veri nominis substitutiones omnes sub se complectitur, ab aliis vero, que tales non sunt, secerunt. Hoc si negas: tuum erit, exemplo quodam in medium alato contrarium docere.

### §. II.

**Substitutionem DD. diuidunt in directam & obmis oblique liquam seu fideicommissariam.** Hanc vocant, qua definitio. substituens heredi anteriori hereditatis (vel certe eiusdem partis quotae) restitutionem heredi ulteriori faciendam iniungit.

E. g. hunc in modum: *Lucius Titius heres esto, sed rogo te Luci Titi, ut, cum primum hereditatem meam adieris, eam (eius dodrantem, semissem, sextantem) Caio Seio restitus. §. 2. I. de fideicommiss. heredit. l. 57. §. 2. ff. ad SCt. Trebell.* Caeterum non est extra controversiam possum, an substitutio fideicommissaria propria dici substitutio queat, quam ego item non facio meam, quippe a scopo meo alienam. Pupillaris substitutio sola me iam exercet. Hanc vero non fideicommissariae sed directae substitutionis speciem schola constituit, ad quam explicandam propedium me accingo.

### §. III.

**Directae definitio.** Est vero substitutio directa, qua substituens heredi anteriori deficienti heredem ulteriorem substituit.

Exemplo sit formula *in schol. 1. ad §. 1. recitata. Ibi* *Seius Titio substituitur, sed demum in casum, si Titius heres*

heres non erit, h. e. in casum *deficientis heredis primi*,  
pr. I. de vulg. subst. Et hoc inter substitutionem directam & obliquam discriminis intercedit, quod in hac, si  
fiuus ei respondere effectus debeat, heres prior non defi-  
ciat, sed hereditatem, quam adiit, restituat, in illa vero  
herede anteriore demum deficiente & hereditatem non  
adeunte substitutus admittatur. Itaque in substitutione  
directa substitutus hereditatem immediate accipit a testato-  
re, in obliqua vero ab herede anteriore. vid. B. B O E H-  
M E R V M in *Introduc*t*. in ius Digest. §. 3. b. t.* Olim potis-  
simam differentiam in verbis collocatam nouimus, quae  
vel directa erant, vel obliqua seu *precatina*. Illa a substi-  
tutiones directas, haec ad obliquas pertinebant. Quare  
iam difficile non est ad intelligendum, unde utriusque sub-  
stitutionis denominatio deriuanda.

§. IV.

*Omnis veri nominis substitutio directa praesup-  
ponit heredis anterioris institutionem in eodem testa-  
mento & in eandem hereditatem factam.* (§. 1). adde  
§. 2. I. de codicill. l. 10 ff. de iure codicilli.

DIXI 1. in eodem testamento & in eandem heredita-  
tem. Si enim non: tunc ambo erunt instituti verius, qui-  
uis in peculiari testamento & in diuersis vterque heredita-  
tes, quam substituti. Neque enim tunc alter eorum dice-  
re potest, alium ante se heredem esse institutum, cui subordi-  
nate ipse esset institutus, per consequens neuter gradu ul-  
teriori, sed primo vterque scriptus dicendus erit, h. e.,  
vterque heres primus. Vide sis schol. 1. ad §. 1. & l. 1. pr.  
ff. b. t.

Substitution  
directa  
praesuppo-  
nit heredis  
anterioris  
institution-  
em in ea-  
dem testa-  
mento & in  
eandem he-  
reditatem.

DIXI 2. veri nominis substitutio directa. Multa enim  
vulgo pro substitutionibus directis venditari, quae ramen  
a verae substitutionis directae indole non una spithama,  
sed

8 De pupillariter substituto heredes legitimos,

sed multis parasangis distant, id quidem infra egregio exemplo demonstratum dabo.

§. V.

*Substituti  
in substitu-  
testamentarii.*

*Substituti in substitutione directa sunt heredes testam-  
entarii. Etenim omnis substitutio directa est he-  
redis institutio (per def. §. 3. & 1.) in testamento facta  
(§. praeced.). Ergo omnes substituti per substitu-  
tionem directam sunt heredes in testamento instituti  
seu heredes testamentarii.*

*Substitutio  
directa vel  
testamenta-  
ria, vel pa-  
ctitia.*

Ita iure rom., quod pacta successoria si non omnia, certe in regula reprobavit tanquam odiosa, bonis moribus contraria & plena tristissimi & periculosis eventus. Moribus nostris vero omnis generis pacta successoria licita & valida esse, omni dubio caret. Quid si iraque Titius cum Lucio & Seio ita pacisceretur, ut sibi Lucius heres esset, Lucio vero herede non extituro Seius sibi heres esset, an haec substitutio foret? ego sane substitutionem nominare nullus dubitauerim. Titius profecto herede anteriori re instituto alium heredem ulteriorem sibi nominavit, eumque priori subordinavit. Nec est, cur dicas, me *institutio* nomen in abusum trahere, quasi hoc ad solas ultimas voluntates pertineat. Enimvero *instituere heredem* idem est ac heredem facere, scribere & quasi suo loco ponere ac collocare, & *institutio* idem sonat ac scriptio vel nuncupatio heredis. RISSON. de verb. sign. sub voce *INSTITUERE* §. 4. & sub voce *INSTITU-  
TIO* §. 2. Jam vero heredem quis facere, scribere & nuncupare potest vel in testamento vel pacto. Quare non errare mihi videor, si substitutiones directas in *testa-  
mentaria* & *pactitiae* diuidi posse affirmo. Si enim sub-*stitutione* fideicommissaria in *testamentariam* & *pactitiam* seu *conventionalem* diuiditur a non nullis: quid obstar, quo

quo minus & directae substitutioni eandem divisionem applicemus? praeferim cum fundamentum dividendi, a modo substituendi petitum, utriusque commune sit.

§. VI.

*Omnis substitutio directa inuoluit conditionem:* *Substitutio directa inuoluit conditionem suspensuam*  
SI ANTERIOR HERES DEFECERIT. In substitutione directa substitutus tantum in subsidium est institutus & in casum non existentis heredis anterioris (§. III.). E. effectus heredis anterioris est id, a quo effectus substitutionis suspenditur, quod cum conditionem vocent ICti (*Celeb. D. NETTELBLADT Syst. elem. vnu. Iur. positiv. tom. i. §. 71.*): patet, omnem substitutionem directam inuoluere conditionem: si anterior heres defecerit. Ex quibus simul intelligi facile potest, esse hanc conditionem suspensuam.

§. VII.

*Si heres anterior hereditatem adiit: substitutio Si institu-  
directa euaneat. Si heres anterior adiit heredita-  
tem: tunc heres anterior non deficit (tunc enim he-  
redem deficere dicimus, si non sit heres). E. tunc  
deficit conditio, sub qua substitutus est institutus* *Si institu-  
directa euaneat.*  
(§. VI.). Deficiente vero conditione deficit etiam id, quod sub conditione est (*per notiss. logic. nec non iur. principia*). Si ergo heres anterior hereditatem adiit, substitutio directa necessario euaneat. Atque hoc etiam postulat manifesta voluntas testatoris, utpote qui substituto hereditatem addixit saltim in subsidium & in casum heredis primi, quem magis in amorphis ac deliciis habuit, quam substitutum, eam non adeuntis. Adde, si lubet, hisce rationibus

B

claram

10 De pupillariter substituto heredes legitimos,

clarum I. 5. C. de impub. & al. subst. ibi: post aditam hereditatem directae substitutiones non impuberibus filiis factae exspirare solent. Et quamvis lex mox recitata excipiat substitutionem directam impuberibus liberis factam h. e., substitutionem pupillarem: tamen hanc exceptionem propositionis meae vniuersalitati minime nocere, infra ostensum ibo.

Sed quid, si minor institutus contra aditio-  
nem resi-  
tutus sit?

DD. facere solent praeterea exceptionem in casu, quo minor institutus contra hereditatem temere aditam restitutus est in integrum, quippe quo casu existente substitutus, adira licet ab instituto hereditato, tamen admittitur. I. 44. ff. de re iud. I. 2. §. 3. ff. b. r. Sed si fatendum, quod res est, haec non est vera exceptio. Erenim substituto in integrum contra aditam hereditatem instituto, aditione resiliis omnia reuertuntur ad pristinum statum; adeo ut iam perinde sic, acsi nunquam adita fuisset hereditas. Quodsi vero ponas, heredem anteriorum hereditatem nunquam adiisse: conditio, sub qua substitutus est institutus, utique existit, adeoque substitutus ad hereditatem est admirandus, testatoris voluntate ita postulante, quippe qui institutum plus substituto, hunc vero plus heredibus ab intestato dilexisse censendus est. Sed nego, hunc esse casum, quo substitutio substituit, adira licet ab instituto hereditare. Intelligenda enim est propositio mea de aditione hereditatis efficaci. Ea vero, quae postea iterum rescissa est, & omni effectu destituta, pro aditione non est habenda.

Substi-  
tutio: si insti-  
tutus heres  
non est  
TUS HERES ERIT, non est substitutio directa.  
Omnis substitutio praesupponit heredis anterioris in-  
stitutionem (§. I.). Hic vel ponitur heres esse, vel  
defice-

desicere. Posterior substitutio directa semper requirit (Schol. ad §.3.). Iam sic: quaecunque substitutio non ponit, heredem anteriorem desicere, seu, quod idem est, non continet conditionem: *si institutus defecerit, illa non est substitutio directa* (cit. Schol. ad §.3. & §.6.). Atqui substitutio facta cum formula: *si institutus heres erit, non ponit heredem anteriorem desicere* (ponit enim contrarium), nec continet conditionem: *si institutus defecerit, (potius continet conditionem huic directe oppositam)*. E. substitutio facta cum formula: *si institutus heres erit, non est substitutio directa.*

Cessa, illam mihi formulam opponere, quam sicut pr. L. de pupilli substit. & l. i. §. i. ff. b. t. ibi: *sue heres erit.* Nam formulam hanc substitutionem directam minime indicare, infra docebo.

In substitutione directa substitutus in dubio ad eandem partem vocatus consendus, ad quam is, cui in dubio ad substitutus, & eatenus, quatenus in plus est institutus, quan- catus censemur, ad quam institutus, quia alias testator dicendus esset, plus dilexisse substitutum instituto, quod tamen in dubio non presumendum ideo, quia testator substitutum vocavit primum post institutum in casum, si institutus heres non erit. De inde neque ad minorem partem vocatus in dubio haberi potest substitutus. Nam substitutio surrogatio quaedam est, qua heres vltcriq; in locum anterioris

12 De pupillariter substituto heredes legitimos,

rioris sufficitur. *Vid. BRISS. de V. S. sub voce SUBSTITVERE*, ibi: *SUBSTITVERE est in alterius locum quid statuere & locare.* *CALVINI lexicon iurid. sub voce SUBSTITVERE*, ibi: *SUBSTITVERE proprium est in eius, qui iam certum locum obtinet, alterum supponere.* Et paulo post: *SUBSTITVI heredes dicuntur, qui in locum sufficiuntur eorum, qui prius erant, & secundo vel tertio gradu instituuntur.* Iam vero substitutus non succederet, saltim non perfecte & oramimode, in locum instituti, si non eandem caperet portionem, quam accepturus fuisset is, in cuius locum suffectus est. Certe qui in alterius locum succedit, in dubio etiam eodem iure gaudet, quo is, in cuius locum succedit: alias enim dici nequit eius locum tenere. Sic e. g. *in l. 16 ff. qui posterior in pign. creditor pignoratius posterior, cuius pecunia primus dimissus est, in huius locum substitui* dicitur. Verum ob hanc ipsam substitutionem & in ius primi successit. *l. 3. & 4. C. de his, qui in prior credit. loc. succed.* Porro qui pro alio intercedit, is se debitorem *substituere* in alterius vicem dicitur *in l. 6. C. de non numerat. pecun.* Sed nunquid is ipse substitutus omne debitum soluere, in quod se substituit, tenetur? nunquid iisdem exceptionibus realibus vitetur, quibus is, cui substitutus est? Iam sic mecum rationes subduces: Si substitutus nec ad maiorem partem vocatus in dubio censendus est, nec ad minorem, quam institutus: consequens est, ut ad partem eandem vocatus dicendus sit. Atqui verum est prius. E. & posterius. Dixi tamen: *in dubio.* Si enim constaret de voluntate testa-

testatoris in minorem portionem substituere volentis: haec sine dubio sequenda foret, non secus ac si certum esset, fideiussorem se non in totam sumam debiti principalis, sed in minorem substituere voluisse. In ultimis voluntatibus totum facit voluntas defuncti: nam, quid senserit, spectandum est, ait Iustus in l. 35. s. 3. ff. de hered. iustit. Et haec erat pars prior propositionis. Tranleo ad posteriorem. Finge, Titium esse institutum in semissem h. e. in  $\frac{1}{2}$ , finge porro, Titio, si heres non erit, Seium substitutum esse in bessem h. e. in  $\frac{1}{2}$ . In hac specie Seius Titio substitutus dici potest saltim in semissem, nequaquam vero etiam in duas vncias semissem excendentes, id quod sic probo: Sicut substitutio generatim, ita & substitutio heredum directa speciatim est surrogatio quaedam vnius (hoc loco heredis) in locum & vicem alterius (BRISS. & CALVIN, cit. loc.). E. eatenus tantum se se porrigit substitutio, quatenus quis in locum alterius sufficitur ac surrogatur. Atqui substitutus eatenus tantum in locum instituti surrogatur, quatenus hic institutus est. Quatenus enim in substitutione plus est, quam in institutione, eatenus ipse institutus locum non tenuit. Qua vero, edic, ratione surrogari in alterius locum potes, ubi nullum alter locum habuit? Profecto, hoc statuere non minus absolum foret, quam dicere, te in meam vicem succedere posse aumili substitui in officio ac dignitate consulari, vbi tamen nunquam consul fuisti.

14 De pupillariter substituto heredes legitimos,

X.

*Substitutionis directae species DD. vulgo laudans quatuor, has videlicet: 1) substitutionem vulgaris, 2) pupillarem, 3) quasi pupillarem, 4) militarem. Vid. LUDOVICI Doctr. Pand. §. 2. b. t. B. BOEHMER Introd. in ius Digest. §. 4. 10. 25. & 30. b. t. SCHAVM-BVRG Compend. iur. Digest. §. 3. b. t. SCHOEPFFER Synops. iur. priu. rom. & forens. §. 3. b. t. SCHOTANVS Instit. Iustin. tit. de vulg. substit. mox initio aliquae. Has species, si placet, ita subordinabis logice, vt, fundamento diuidendi a persona tam substituentis quam eius, cui substituitur, desumto, dicas: Directa substitutio vel talis est, vt substituere sic possit quilibet testator cuilibet instituto, vel non. Casu priori habes substitutionem *vulgaris*, posteriori vero *non vulgaris*. In non vulgari itaque non quilibet potest cuilibet substituere. Iam vel solus miles ita substituere potest, vel soli ascendentibus suis descenditibus ad testandum inhabilibus: (praeter milites enim & ascendentibus non dantur, quibus peculiaris substituendi modo peculiari facultas concessa). Si prius prodit substitutio *militaris*, quae, quoniam miles prout in condendis ultimis voluntatibus generatim, ita & speciatim in substitutionibus legibus ciuilibus solitus esse dicitur, etiam *priuilegiata*, item *irregularis* audit. Sin posterius: substitutionem *pupillarem in sensu latiori* sic dictam nominabis. In hac igitur soli ascendentibus substituantur descendantibus ad testandum inhabilibus in casum, si in isto statu inabilitatis decesserint. Sunt vero inhabiles ad testandum vel ob aetatis defectum, vel ob aliud vitium*

e. g.

e. g. ob dementiam. Casu priori in substitutionem pupillarem stricte sic dictauit, quam etiam veram appellat HOPPIVS in Comment. ad Institut. tit. de pupill. subst. ad rubr., casu posteriori vero in *quasi pupillarem* incidis.

T. Nimurum impuberis sunt intestabiles. E. in imputabiliare ex hac vita decedentes (decedunt autem quotidie), non possunt non intestari decedere, quo sit, ut ad legatos heredes eorum hereditas perueniat, pessime interdum meritos. Quod cum aegre terrent oprimi parentes, cooperunt, parriac potestatis iure suffulti, non solum habi facere testamentum, sed & impuberi filio in casum, si in hac aetate decesserit, heredem scribere, & hanc pupillarem substitutionem postea dixerit l. 2. pr. ff. b. t. pr. I. de pupill. subst. ibi: nam moribus institutum est, ut cum eius aetatis filii sint, in qua ipsi sibi testamentum facere non possunt, parentes eis faciant. Hoc substituendi genus cum arrideret Justiniano, id vero tantum ad impuberis pertinuerit deprehenderet: ad huius exemplum introduxit aliam substitutionem pupillari consumilem, qua nimurum parentes liberis ob aliud, quam aetatis virtutem testari non valentibus heredem scribunt in casum, si in eo statu decesserint. l. 9. C. de impub. & al. subst. §. i. I. de pupillar. subst. ibi: qua ratione excitata etiam constitutionem posuisse in nostro Codice (vid. l. 9. C. cit.) qua prospectum est, ut si qui mente capio habeant filios, vel nepotes vel propnepotes cuiuscunque sexus vel gradus, liceat eis, et si puberes sint, ad exemplum pupillaris substitutionis certas personas substituere. Et haec substitutio, quoniam ad exemplum pupillaris introducta, exemplaris; ob similitudinem vero, quam cum priore haber, quasi pupillaris, & ab auctore suo Justiniano institutanea appellari consuevit. Invenit exemplo utramque illustrare: Titius, filius meus, mibero

*Ratio &  
virtus sub-  
stitutionis  
pupillaris*

*quasi pupil-  
laris.*

16 *De pupillariter substituto heredes legitimos,*

*heres esto. Si (quod abominor) filius meus impubes (de-  
mens) decesserit: tunc Maeuius heres esto.*

*Variae DD.  
opiniones  
circa diui-  
sionem sub-  
stitutionis  
directae.*

2. Caeterum minime me fugit, DD. in speciebus substitutionis directae constituendis non eandem omnes viam ingredi. HEINECC. in Element. iur. civil. §. 553. duas tantum substitutionis directae species diuersas agnoscit, nimirum vulgarem & pupillarem, quocum faciunt ECKOLD. in Compend. Pand. §. 2. 3. 4. b. t. VINNIUS in Comment. ad rubr. I. tit. de vulg. subst. num. 4. HOPPIVS in Comment. cod. IOHANN. POMERESCH in Tirocin. iur. super IV. Libr. Instr. tit. de vulg. subst. ad pr. Alii ad quatuor species a me recentitas addunt substitutionem breuiloquam, compendiosam, reciprocam, nec eosdem omnes cum his conceptris coniungunt. Alii enim breuiloquam & compendiosam, alii compendiosam & militarem, alii breuiloquam & reciprocam pro synonymis habent, alii secus sentiunt. vid. ECKOLDVM §. 3. cit. loc. VINNIVM cit. loc. WESEM- BECIVM in Comment. in Pandect. §. 7. b. t. Alii cum LAVTERBACHIO in Compend. iur. b. t. substitutionem directam diuidunt in simplicem & duplificem sive mixtam, & illius subspecies laudant vulgarem & non vulgarem, quae posterior iterum vel restricta est, vel libera seu absoluta h. e. militaris. Restricta est vel pupillaris vel quasi pupillaris. Verum frustra meam in tanta varietate iam sententiam expectas. Solam pupillarem substitutionem in praesentiarum ante oculos habeo, de hac sola igitur quid ego sentiam, praesens dissertatio docebit. Ut tamen expectationem tuam non destituam omnino, candide fateor, animum meum ad illam sententiam valde inclinari, quae omnes substitutionis directae species, praeter vulgarem, exules esse iubet, a qua nec VINNIVM alienum deprehendo cit. loc., ubi, deserta, pro qua paulo ante militaverat, bipartita diuisione, tandem ita mentis sensa exprimit: quippe sola vulgaris substitutio proprie substitutio est. Et. Verum pluribus hanc sententiam argumentis stabilire

lire nimis longum foret, & falcem in alienam messem immittere. Pupillarem substitutionem perperam huic referri, demonstrasse pro instituti mei ratione sufficiat. Hanc autem remouere & labefactare velle est vniuersae ICtorum reipublicas bellum indicere. Sed & hac feliciter remota prope ipsa erit victoria. In reliquis enim speciebus, excepta vulgari substitutione, semper inuenies, qui iam ante te eas in exilium egerunt.

## §. XI.

*Fundamentum facultatis liberis impuberibus* (lo. Fundamen-  
quor de pupillari substitutione stricte sic dicta, quae tum substi-  
sola est dissertationis obiectum) *pupillariter substitu-*  
*endi est patria potestas.* l. 2. pr. ff. b. t. Ibi moribus tutionis pu-  
introductum esse dicitur, vt quis liberis impuberi-  
bus testamentum facere possit, & mox adduntur pillaris est  
haec verba: *quod sic erit accipendum, si sunt in po-*  
*testate.* Ergo liberis pupillariter substituere non patria potestas.  
possimus, si non sunt in potestate (scilicet patria),  
quam conclusionem ipse VLPIANVS vterius confor-  
mat, statim subiungens: *ceterum emancipatis non*  
*possimus* (intellige testamentum facere seu pupilla-  
riter substituere). Et cur non? quia nimirum libe-  
ri per emancipationem e patria exequunt potestate.  
Adde pr. l. de pupill. substit. Ibi: *liberis suis impube-*  
*ribus, quos in potestate quis habet &c.* Neque hic silentio praetercunda l. 41. §. 2. ff. b. t., quae sane non obscure innuit, substitutionem pupillarem esse effectum patriae potestatis. Ibi enim substitutio pu-  
pillaris irrita fieri dicitur, si quis ex his, quibus pu-  
pillariter substituebatur, mortis tempore *non fuerit*  
*amplius in familia h. e. in patria potestate.* Ecce!  
C hic

18 *De pupillariter substituto heredes legitimos,*

hic substitutio pupillaris initio & quoad institutus in patria potestate testatoris extitit, valida, mox exspire & irrita fieri dicitur, potestate patria sublata. Ex quibus non male ratiocinari mihi videor, ita concludens: si, qui liberos in potestate habet, eisdem potest pupillariter substituere, id vero non potest, quam primum patria potestate exutus; porro si pupillaris substitutio subsistit, quamdiu is, cui substitutum est, patriae subest potestati, statim vero expirat, vbi ex eadem exiit: consequens est, ut patria potestas recte pro fundamento facultatis liberis im- puberibus pupillariter substituendi habeatur. Atqui verum est prius (per cit. loc.). Ergo & poste- rius verum sit, necesse est.

§. XII.

*Mater non potest pupillariter substituere.* Facultas liberis im- puberibus pupillariter substituendi effectus est patriae potestatis (§. XI.). Hac igitur destitutus nec pupillariter substituere potest. Iam vero mater liberos in potesta- te non habet §. 10. I. de adopt. §. 3. I. de hered. quat. & diff. E. & facultate caret eisdem pupillariter sub- stituendi.

*Dubium ex l. 33. pr. ff. b. t. remo- netur.*

1. Obstare viderur l. 33. pr. ff. b. t. Ibi substitutio a matre filio impuberi pupillaribus tabulis facta valere dici- tur. Quid ad hoc? R. quoniam haec lex difficultate non caret, operae premium puto, eam, prout in corpore iuris extat, describere. Ita autem se habet: si mater ita teste- tur, ut filium impuberem, cum erit annorum quatuorde- cim, heredem instiqtuat, eique pupillaribus tabulis, si sibi heres

*heres non erit, alium substituat: valet substitutio.* Hu-  
ius legis verba penitus intuenti patet, AFRICANVM eius-  
modi casum ante oculos habuisse, quo mater quaedam,  
habens filium adhuc impuberem, eum tabulis suis here-  
dem instituit, collata tamen institutione in tempus puber-  
tatis h. e., mater impuberem filium quidem sibi heredem  
scripsit, ira tamen, ut ante sibi heres non esset, quam si  
puberratem adeptus fuerit, id quod sibi sine dubio volun-  
taria: filium heredem instituit, cum erit annorum qua-  
tuordecim. Huic institutioni mater adiecit substitutione-  
m e. gr. hunc in modum: *si filius mens (sub dicta con-  
ditione institutus) mibi heres non erit, (eoquod nimis  
ante, quam pubes factus, et viuis forte excessurus est, ad-  
eoque conditio, sub qua institutus, non extitura): tunc  
Seius mibi heres esto.* Et haec substitutio dicitur valere.  
Et valet utique. Verum, amabo te, an haec est substitu-  
tio pupillaris? minime. Hoc in casu vera continetur sub-  
stitutio vulgaris. Ita enim: *si iste mibi heres non erit:  
ille mibi heres esto, substituere potest qui quis cui libet pr.*  
*I. de vulg. subst.* Substitutio vero, quae talis est, ut pos-  
sit fieri a quolibet cui libet, non pupillaris, sed vere vul-  
garis est (§. X.). Posse autem matrem vulgariter suis li-  
beris substituere, nemo in dubium vocat. Certe si pu-  
pillaris haec substitutio esse debeat: opus fuisse, ut ma-  
ter non saltim sibi, sed etiam filio suo impuberi heredem  
scriberet in casum, si in impubertate moriturus esset (per  
Schol. I. ad §. X. & per infra demonstranda). Hoc cum  
in praesenti specie mater non fecerit: neque pupillariter  
substituisse dicenda est. Reclamabis: ut quid ergo matris  
testamentum *pupillares tabulae dicuntur?* Resp. ita dicun-  
tur, non quod eis insit pupillaris substitutio, sed quia is,  
qui in eis institutus, tempore institutionis adhuc impubes  
fuit. Non ergo ratione *substitutionis*, sed potius ratione  
*institutionis* tabulae dicuntur *pupillares*. Porro *pupilla-*  
*res* dicuntur, quia matris testamento in casu proposito vir-  
tuali.

20 De pupillariter substituto heredes legitimos,

tualiter inest conditio substitutionibus pupillaribus plane domestica, nimirum haec: *si filius meus in impubertate morietur.* Ex quo tamen nondum fluit, ipsam substitutionem semper esse pupillarem, quoties testamento dicta conditio inest: quippe plus requiritur ad substitutionem pupillarem, nempe ut substituens praeterea filio, cui substituit, heredem scribat, eique testamentum faciat (per demonstranda §. seq.).

Mater ne  
hodie qui-  
dem pupil-  
lariter sub-  
stituit.

2. Dices, me quidem haec tenus extra aleam dubitatis posuisse, matrem ex iuri romani principiis non posse pupillariter substituere; sed, an hodie hoc possit? merito dubitari, cum certum sit, in aestimandis praesertim P. P. iuribus principia iuri romani in foris nostris non pura seruata, sed contra ea moribus multa esse recepta, adeo ut hodiernae patriae potestatis longe alia sit facies, quam quidem illius romanæ, ex qua ius liberis pupillariter substituendi fluxit. Accedit, quod hodie mater ab exercitio patriæ potestatis non sit amplius omnino exclusa. Ut verbo complectar omnia, patria potestas in Germania in mixturam quandam abiit partim ex iure romano, partim ex moribus compactam. In re igitur tam incerta quid sentiendum de iure matris pupillariter substituendi? Resp. haec omnino ita se habere. Ego in hac re ita mecum soleo ratiocinari: Ius romanum in Germania receptum est per publicas imperii LL., sed tamen facta est haec recep-  
tio saltim in subsidium tam LL. domesticarum scriptarum, quam non scriptarum seu consuetudinum, quarum obseruantia doceri potest (vid. *Celeberr. D. NETTELBLADT System. element. uniuers. Iur. pos. tom. 1. §. 58. Obseruat. s. Et §. 59.*) Quare quoties probari potest, dispositionem aliquam iuri romani vel lege quadam scripta domestica, vel moribus correctam esse & antiquaram, aut visu plane nunquam receptam: toties a principiis iuri romani recedendum est, & potius legi domesticae vel moribus standum. Fiat applicatio ad propositam questionem. In legge

Iege quadam communi domestica scripta, (ad particulares enim iam non attendo), dispositionem iuris romani, quatenus ad doctrinam de pupillari substitutione pertinet, esse mutatam, ego quidem non memini. Vtrum vero moribus delinquim aut vicem sit passa, sed ei est quaestio, Prætorum testimonii probanda. Hi itaque sciscitandi. Audiamus ante omnes CARPZOVIM, ingens illud Prætorum oraculum. Is P. 3. C. 8. definit. 16. sequentem nobis in modum responder: *Effectus patriae potestatis in successione ex testamento adhuc durare in Germania, con- cors Interpretum est opinio. Ergo nec bodie mater liberis suis impuberibus pupillariter substituere potest, ut sentiunt DD. omnes, teste Bart., nisi per statutum vel consuetudinem aliquius loci liberi potestati matris subiiciantur, quale statutum ex Reform. Polit. Reipubl. Francfurt. memorat STRYK in Cautel. testam. cap. 18. membr. 2. §. 6., secun- dum quod matri competit potestas liberis pupillariter sub- stituendi, restricta tamen ad ea tantum bona, in quibus il- la pupilos suos heredes instituit. Assertum suum mox præcudiis confirmat laudans CARPZOV. Plures in hanc rem testes in scenam producit HOPPIVS ad pr. I. de pupill. subft. Interea tamen idem CARPZOV. l.c. def. 17. matribus pupillariter substituturis suggerit consilium, ut testamen- to adiiciant clausulam codicillarem, cuius eam vim esse & efficaciam contendit, ut tunc substitutio pupillaris valeat iure fideicommissi, quasi per illam heres de restituenda he-reditate rogatus censeatur, retena sibi quarta l. 29. §. 1. ff. qui testam. fac. poss. l. vlt. §. 1. C. de codicill. Quam cautelam quidem probo, sed tamen ea non est eius effica- ciae, quanta foret, si substitutio pupillaris valeret qua ta- lis: tum quia tunc hereditas nulli quartae esset obnoxia, tum quia sic substitutus non succedit in vniuersa bona in-stituti, sed in ea duntaxat, quae a substituente profecta. Deinde, si farendum, quod res est, cautela a CARPZ. sup- peditata non solum matribus prodest, sed eti liber, etiam extra-*

*Sed quid, si  
adiecerit  
clausulam  
codicilla-  
rem?*

22 De pupillariter substituto heredes legitimos,

extraneo pupillum quemcunque instituenti. Clausula enim codicillaris substitutionem directam, (quae fieri in codicillis non potest l. 76. ff. ad SCr. Trebell.), conuertit in talem, qualem etiam codicilli recipiunt h.e., in fideicommissariam §. 2. I. de codicill. cit. l. 76. ff. Iam vero norissimi iuris est, non solum matrem, sed etiam quemlibet extraneum posse ab eo, quem instituit, fideicomissa relinquere, adeoque omnibus aequa dicta clausula prodest.

S. XIII.

Pater (atus, nepotem in potestate habens per §. X.) dum pupillariter substituit, filio (nepoti) impuberi heredem scribit, quod tamen facere non potest, nisi & sibi faciat testamentum. Prius propositionis membrum eq; uidem non exiguum irregularitatem sapit, cum aliis alii heredem scribere in regula non possit, sed tamen clarae id leges eloquuntur. vid. tit. I. de pupill. substit. Ibi in pr. ait Imperator, posse quem liberis impuberibus, quos in potestate habet, ita substituere, vt, si adhuc impuberis mortui fuerint, sit eis aliquis heres: & postea in §. 2. addit haec verba: tanquam si ipse filius sibi heredem instituisset. Apparet hoc etiam ex forma eiusmodi substitutionis pupillaris, quam fistit l. 3. ff. b.t. Ibi: quisquis mihi heres erit, idem filio impuberi heres esto. Denique l. 10. §. 5. ff. b.t. satisclare enunciat, eum, qui pupillariter substituit, de impuberis, cui pupillariter substituit, bonis & hereditate disponere. Ratio huius rei reddi potest manifesta ex fine substitutionis pupillaris. Haec inuenta est, vt impubes, in ea aetate fortasse decessurus, in qua ipse testamentum facere

facere non potest, heredem haberet testamentarium, qui heredes ab intestato excluderet (Schol. I. ad §. X.). Atqui hi non excluderentur, nec testamentarum impubes habiturus esset heredem ni pater ipsi pupillariter substitutus simul heredem scripsisset. Ergo finis substitutionis pupillaris non obtineretur, nisi substituens impuberi heredem eidem scriberet.

1. Et sic iam in antecessum patet, quid rationis sit, cur dicant DD. (id quod & ego infra demonstrabo), pupillariter substitutum, pupillo intra impubertatem mortuo, non solum in bona pupilli a patre profecta, sed in vniuersa sucedere, quia nimis heres a patre scriptus est impuberi filio, & quia heres succedit in vniuersum ius defuncti.

Transeo ad alterum propositionis membrum, quod itidem ex claris LL. verbis sumtum est. Ita enim loqui usq. 5. I. de pupill. substir.: *Liberis autem suis testamentam nemo facere potest, nisi et sibi faciat*, addita hac ratione: *nam pupillare testamentum pars et sequela est paterni testamenti.* Adde l. 2. §. 1. ff. b. t. Ibi: *quisquis autem impuberi testamentum facit, sibi quoque debet facere.* *Cneterum soli filio non poterit.*

2. Non necesse duco, ut occurram obiectioni, quam fortasse non nemo in medium adferet, ad militum priuilegium prouocans, vi cuius hi possunt pupillariter substituere, licet sibi non faciant testamentum l. 41. §. 5. ff. de testim. milit. l. 2. §. 1. ff. b. t. Ego enim de paganorum substitutionibus iam loquaor, de militum priuilegiis parum solicitus.

#### §. XIV.

24 De pupillariter substituto heredes legitimos,

§. XIV.

Substitutio  
pupillaris  
duobus te-  
stamentis  
absolutitur,  
quamvis  
formaliter  
unum sint.

Substitutio pupillaris est testamentum eius, cui pupillariter substituitur, & totum negotium substitutionem pupillarem continens duobus testamento, materialiter diuersis, qua formam tamen non nisi uno, absoluuntur. Substitutio pupillaris in eo consistit, quod substituens in ultimae voluntatis elogio (nam de substitutione paetitia iam non loquor), ei, cui substituit, heredem scribat (§. XIII.), casu substitutionis eueniente in vniuersa eius bona directe successorum, (per infra demonstranda). Eiusmodi dispositio vero, qua quis totam alicuius successionem determinat, eidem directe heredem scribens, *testamentum* dicitur (*Cel. D. NETTELBLAD T System. elem. uniuers. iur. posit. §. 177.*). Ergo substitutio pupillaris vere est testamentum, & quidem, quoniam in eo de ipsis impuberis, cui substituitur, hereditate atque successione disponitur (per mox dicta), eius, cui pupillariter substituitur, testamentum est. *Quod erat primum.*

I. Non desunt LL., in quibus substitutio pupillaris TESTAMENTVM eius, cui pupillariter substituitur, nominatur. Huc, praeter l. 2. §. 1. ff. b. t. & §. 5. I. de pupilli subst., quas geminas leges §. anteced. excerptas dedi, refero l. 2. pr. ff. b. t. Ibi: *moribus introductum est, ut quis liberis impuberibus TESTAMENTVM facere possit, & l. 8. §. 5. ff. de inuff. testam.* Ibi: *mater impuberis filii TESTAMENTVM inofficium non dicit, & paulo post: quia filii TESTAMENTVM est.* His adde l. 20. §. 1. ff. b. t. Ibi: *si pater sibi per scripturam, filio per nuncupationem fecerit TESTAMENTVM: valebit.* Et tandem PUPILLARE TESTAMENTVM multoties nominatur in LL. e. g. in l. 2. §. 2. l. 43. pr. l. 44. ff. b. t.

Verum

Verum quoniam nemo potest pupillariter substituere, nisi & sibi faciat testamentum (§. XIII.): propalam est, totum substitutionis pupillaris negotium duobus testamentis absolui, quorum nimirum altero substituens sibi, altero vero impuberi, cui pupillariter substituit, heredem scribit. Et quoniam haec duo testamenta diuersa respiciunt hereditates, prius nimirum hereditatem substituentis, posterius vero hereditatem impuberis, adeo ut peculiarem vtrumque heredis institutionem complectatur (§. XIII.): duo haec testamenta ratione materiae seu obiecti, de quo in eis disponitur, utique differunt, h.e., sunt duo testamenta *materialiter* diuersa. Quia tamen uno vtrumque contextu fieri potest (§. 3. in fin. I. de pupill. subst.), & duplicatae solennitates non requiruntur, sed simplices sufficiunt, adeo ut e. g. bis septem testes non desiderentur, nec opus sit, ut bis signa tabulis imprimant l. 20. pr. ff. b.t.: inde intelligis, cur duo haec testamenta *quoad formam* non nisi unum esse dixerim. Imo & ratione *causae effientis* possunt unum dici testamentum, quia ab uno eodemque testatore vtrumque conficitur. Item ratione *subsistentiae*, quatenus nimirum pupillaris substitutione non subsistit, nisi pater & sibi faciat testamentum (§. XIII.), cuius etiam pars & sequela dicuntur in §. 5. I. eod. VINNIUS ad §. 2. I. b. t. *Et hoc erat secundum.*

2. Iam sine dubio capies sensum Imperatoris in §. 2. I. de pupill. subst. ita loquentis: *Igitur in pupillari substitutione secundum praefatum modum ordinata duo quodammodo sunt testamenta, alterum patris, alterum filii, tandem*

D

*quam*

26 De pupillariter substituto heredes legitimos,

quam si ipse filius sibi heredem instituisset: aut certe unum testamentum duarum causarum i. e. duarum hereditatum. Ait Imperator, substitutionem pupillarem esse unum testamentum, sed duarum hereditatum. Nimirum unum est ratione formae, non unum vero ratione materiae. Certe pupillaris substitutio duplicum dispositionem in se continet, quarum quaelibet separata hereditatem respicit, separatamque heredis institutionem complectitur. Et hinc etiam est, cur duae aditiones sint necessariae l. 2. §. 1. ff. b. t., & quod pater sibi per scripturam, filio per nuptiationem, & vicissim, possit heredem facere l. 20. §. 1. ff. b. t., nec non alio tempore sibi, & alio filio testari l. 16. §. 1. ff. b. t. Profecto haec omnia cogitare non possumus, quin duplex testamentum simul cogitemus, ipso testamenti conceptu hoc ita exigente. Sed cur Imperator haec testamenta non simpliciter vocat duo, sed cum additione quodammodo? que vox improprietas nota est, & vallet aliquo modo teste BRISONIO de Verb. signif. Nimirum in eo improprietas quedam occurrit, quod, cum duo sint realiter testamenta, ramen ab uno vincic testatore conficiantur, vna simplici solennitate contenta, perinde, ac si vincic essent testamentum. Hinc formam si riantur consideras: non nisi unum esse testamentum putabis. Ipsam internam tabularum materiam & argumentum si spebas: duo eidem vere testamenta inesse mox dices. Eandem explicationem desiderant l. 2. §. 4. & l. 20. pr. ff. b. t.

3. Ut clariorem haec omnia lucem accipiant, iuuat analysin instituere testamenti cuiusdam pupillaris, quam probe intellexisse captum propositionum proxime insecurarum non paulo reddet faciliori. Testamentum, in quo substitutione pupillaris continetur, ita se habet: *Hic vel ille heres esto.* Et quod si impubes filius meus ante, quam pubes factus, moriatur: tunc *Sciens ei heres esto.* Verba: *bis vel ille heres esto,* conficiunt testamentum pupilli-

pillariter substituentis, reliqua vero: *si impubes moriantur,*  
*tunc Scius ei heres esto, testamentum ipsius impuberis, cui*  
*pupillariter substitutur, exhibent.*

## §. XV.

*Quamuis substitutio pupillaris sit testamentum* *Ipse tamen*  
*impuberis (§. praeceps.): tamen impubes ipse non te* *impubes*  
*statuer, sed pater, idque non nudo filii nomine, sed iure* *non testa-*  
*proprio. Quod pater testetur, per se patet ex ipso* *tur, sed pa-*  
*substitutionis pupillaris conceptu (§. X. & schol. I.* *ter.*  
*eod.). Pater enim pupillariter impuberi substituit,*  
*eique heredem scribit, non impubes sibi ipsi (§. XIII.),*  
*quippe qui ob aetatis & iudicij defectum intestabilis*  
*est. Quod vero pater hoc faciat non nudo filii no-*  
*mine & tanquam merum filii instrumentum, sed iu-*  
*re proprio, sic euinco. Patria potestas patri in li-*  
*beros competit ex legum dispositione & prouiden-*  
*tia, (id quod tanquam notissimum iuris principium*  
*merito praesuppono). Ergo aetus, quos pater ex-*  
*ercent vi patriae potestatis, omnes iure proprio, legi-*  
*bus sibi indulto, exercet. Atqui pupillaris substi-*  
*tutio est aetus patri vi patriae potestatis competens*  
*(§. XI.). Per consequens pater filio pupillariter sub-*  
*stituit iure proprio, adeoque non nudo duntaxat fi-*  
*lli nomine.*

Inde concludo 1. pupillarem substitutionem, licet sit *Conclusio-*  
*filiī testamentum, tamen non esse filii iudicium ac volun-*  
*tatem, sed patris quia nimis non ipse filius disponit, *nus inde**

*dependens.* sed pater, filio tantum passiu se habente. Ex quo *tes.*

2. conficio, in patris proflus arbitrio esse positum, num  
 testamentum, quod filio fecit, iterum reuocare, an suas  
 eidem vires relinquere malit. Num enim potest pro  
 lubitu cassum reddere, quidni & filii? Certe hoc aequē

28 De pupillariter substituto heredes legitimos,

Patri est iudicium aequae ultima voluntas, ac illud. Iam vero ambulatoria est ultima hominis voluntas usque ad vi-  
tae supremum exitum. l. 4 ff. de adim. vel transf. Legat.  
Denique ex dictis 3. elicio, in explicando filii impuberis te-  
stamento in dubio non eo esse respicieendum, quid velle  
vel voluisse praesumendum sit filius impubes, sed quid vo-  
luisse censendus sit pater, utpote cuius est voluntas, quae  
explicanda, neutiquam vero voluntas filii. Haec probe no-  
tasse infra te minime poenitebit.

§. XVI.

*Vltra ter-*  
*minum pu-*  
*bertatis pu-*  
*pillariter*  
*substitui*  
*non potest.*

Pater filio non potest pupillariter substituere, nisi  
ad annos usque pubertatis, ad brevius autem tempus  
pubertatis pu- potest. §. 8. I. de pupill. substit. Ibi: masculo igitur  
pillariter vsque ad 14. annos substitui potest: faeminae usque ad  
substitui 12. annos: & si hoc tempus excederint, substitutio  
euaneat. Adde l. 21. ff. b. r. Ratio est in promptu.  
Pupillaris substitutio est introducta, vt ne impube-  
res, qui ipsi testamentum facere non possunt, inte-  
stati decedant (schol. 1. ad §. X.). Iam vero puber-  
tatem adepti ipsi testandi habent facultatem. Ergo,  
postquam puberes esse coeperunt, cessat ratio finalis  
substitutionis pupillaris. Igitur & ipsa substitu-  
tio cesset, necesse est. At vero ratio finalis substitu-  
tionis pupillaris subsistit, si ad brevius tempus,  
quam ad terminum pubertatis substitutio facta, ad-  
eoque tunc nihil causae subest, cur ita substituendi  
patri ius esse neges. Integrum est patri, filio im-  
puberi prorsus non substituere, quidni & integrum  
ei sit substituere ad brevius tempus e. gr. usque ad  
annum aetatis decimum?

Obiicies

Obiecties, durante fundamento durare & id, quod per *Obiectio-*  
fundamentum est, Arqui substitutionis pupillaris funda-*nis*  
mentum est patria potestas (§. XI.), hanc vero etiam post  
terminum pubertatis durat. Ergo etiam, postquam filius  
ex impubertate iam excessit, pater eidem pupillariter sub-  
stituere potest, & substitutio, si intra impubertatem facta,  
hac licet finita, tamen subsistet. Huic obiectioni sic ob-  
uiam eo. Evidem fundamentum substitutionis pupilla-  
ris est patria potestas. Iam vero haec, sicut & omne  
aliud ius, ira est exercenda, ut eius exercitium non sit  
coniunctum cum violatione juris quaestii alterius. Atqui  
hoc contingenter, si etiam post donatam puberratem sub-  
stituerit substitutio. Hac enim ratione puberi facto adime-  
retur facultas testandi, vna cum puberrate legibus dona-  
ta, quod merito iniquum praedicat *I. 43. pr. ff. b. t.* Ex  
dictis iterum pater, quae sit ratio disparitatis, si ad tem-  
pus breuius substitutio fit. Si enim hoc: nulla impube-  
ri admittitur testandi facultas, utpote quam in ea aetate non  
dum habet.

§. XVII.

*Omnis substitutio pupillaris continere debet con-*  
*ditionem: SI FILIVS IMPVBES IN IMPVBER-*  
*TATE DECESSERIT.* In substitutione pupillari *Substitutio*  
pater filio impuberi testamentum facit, atque in eo *pupillaris*  
de eiusdem hereditate disponit (§. XIII. & XIV.) uti-*continet*  
que in casum, *si deceperit*, quia nulla datur heredi-*conditio-*  
tas viuentis. Iam vero pater filio impuberi non pot-*nem: si in*  
est in longius tempus testamentum facere, quam *impuberta-*  
donec ipse sibi facere non potest (§. XVI.), quod *te decesse-*  
cum statim possit pubertatem nactus *I. 5. ff. qui testam.*  
*fac. poss.*, consequitur, ut pater filio pupillariter sub-*rit.*  
stituere non possit, nisi sub conditione: *si in impu-*  
*D 3* *ber-*

30 De pupillariter substituto heredes legitimos,  
bertate decesserit. Adde pr. I. de pupill. subst. l. 1. §. 1.  
ff. b. t. Caeterum hanc esse conditionem suspensi-  
uum, per se patet.

### §. XVIII.

Pubertate  
substitutio  
pupillaris  
euanescit.

Quoties pupillus ad annos pubertatis pervenit:  
toties substitutio pupillaris euanescit, tametsi in lon-  
gius tempus a testatore concepta fuerit. vid. l. 14. ff.  
b. t. Ibi: *In pupillari substitutione licet longius tem-  
pus comprehensum fuerit, tamen finietur substitutio  
pubertate.* Adde l. 7 ff. b. t. Ratio manifesta est,  
quia nimirum tunc deficit conditio, sub qua pupilla-  
riter substitutus est institutus (§. XVII.). Quod vero  
etiam tunc euanescat substitutio pupillaris, licet testa-  
tor eam in longius tempus coniecerit, eam ob ratio-  
nem est, quia pater per leges filio non potest ultra  
terminum pubertatis pupillariter substituere (§. XVI.).  
Ergo si filio ultra laudatum terminum substituit, ea-  
tenus, quatenus ultra hunc terminum substituit, sine  
iure agit. Ergo eatenus, quatenus pater ultra ter-  
minum pubertatis filio substituit, substitutio pupilla-  
ris non potest subsistere.

### §. XIX.

EIAM ex-  
beredatis  
pupillari-  
ter substi-  
tui potest.

Pater non solum liberis in suo testamento insti-  
tutis, sed & exheredatis potest pupillariter substituere.  
Habet hoc clarissimus textus §. 4. I. de pupill. subst.  
& l. 1. §. 2. ff. b. t. Neque est, cur mireris, exhere-  
dato (de instituto enim nullum est dubium), pupilla-  
riter substitui posse. Optime hoc cohaeret cum iu-  
ris principiis. Siquidem fundamentum facultatis  
pupillariter substituendi est patria potestas (§. XI.).  
Hanc

Hanc igitur quidquid non soluit, id neque facultatem pupillariter substituendi tollere potest. Iam vero certi iuris est, per exheredationem filii non soluius patriae potestatis. *l. 20. ff. de bon. poss. contr. tab.* Ergo & ius pupillariter substituendi patri saluum manere in propatulo est, exheredato licet filio.

1. Formula, si exheredato pupillariter substituendum, haec erit: *Titus heres esto; filius exheres, qui si in impubertate moriatnr, ei Maeuius heres esto.* Ex hac formula profecto meridiana luce clarius efficitur, quam maxime veritati esse consentaneum, quod supra (§. XIV.) afferui, substitutioni pupillari duo vere testamenta inesse, alterum patris, filii alterum. Verba *Titus heres esto filius exheres*, testamentum, quo pater sibi heredem scripsit, sistunt, reliqua vero testamentum, quod pater filio, quem in suo testamento exheredauit, fecit in casu, si impubes moriantur, comprehendunt.

2. Neque per substitutionem pupillarem exheredato factam delinquum patitur tritum illud, neminem esse onerandum a testatore, quem non honorauerit *l. 9. C. de fidei-  
commiss. l. 41. §. 3. ff. b. t.* Nam licet filius, quem pater exheredauit, non sit a patre honoratus: tamen neque onerarus est per solam substitutionem pupillarem. Hac enim in eo consistit, quod pater filio suo impuberi testamentum fecerit in euentum, si impubes ex hac luce migrabit. Hoc vero tantum abest, ut onus vocari queat, ut potius non mediocris impuberis fauor dicendus sit. Sic enim incipit heredem habere testamentarium, quallem ipse sibi in impuberi aetate facere non potuisset, legitimis heredibus, minime fortasse meritis, facultates certissime literaturis. Sane in *l. 42. pr. ff. de acquir. hered.* **VLPIANVS** virilitatem pupilli vocat habere ex testamento successorem. *Add. l. 6. pr. ff. de interrog. in iur. fac.* Quod ad *LL.* cit,

32 De pupillariter substituto heredes legitimos,

cit. attinet, eae hoc trahi non possunt. Id enim solum euincunt, ab eo, qui a testatore honoratus non est, legata aut fideicomissa relinquere non posse, quod rationem habet. Per haec enim ei, a quo relinquuntur, aliquid decedit, nullo lucro compensante defectum, adeoque vere sunt onera. Secus omnia comparata sunt in pupillari substitutione, quippe in qua id duntaxat agitur, ut impubes incipiat habere testamentum. Praeterea nulla eidem infertur iniuria, nihil dare iubetur e sua crumenta, nulla ei adimitur facultas testandi, vrpote quam, donec impubes erit, nullam habebit, ex quo vero pubescer, recipier, pupillari substitutione a patre facta nihil ostante. Quod in pupillari substitutione exheredato facta singulare mihi quidem videtur, potius hoc est, quod, qui impuberi exheredato substituitur, a substituente nullo possit legato aut fideicomisso grauari. l. 24. C. de legat. l. 41. §. 3. ff. de test. milit. l. 126. pr. de leg. 1. Dixi, singulare hoc esse. Iuris enim principia si consulimus: haec secus pronunciamdum diabantur. Quoties enim testatori cum extraneis res est: toties in liberrima eius voluntate positum est, an & quos instituere velit; an cum, an sine onere (per indub. iur. pr.), modo tamen oneret neminem, quem non honorauit, aut oneret plus, quam honorauit. l. 114. §. 3. l. 122. §. 2. de leg. 1. Iam vero pater filio testamentum faciens testator est (§. XV.), & extraneum in pupillari testamento instituit (per hypoth.). Quid ergo obstat, quo minus a pupillariter substituto legata aut fideicomissa relinquere possit, vtique modica illa, & impuberis hereditatem, qua honoratus est, non exhaustientia, aut alias Falcidiā laudentia? Certe si ipse filius testamentum sibi fecisset: sine dubio potuisset ab instituto legare aut fidei eius committere. Cur igitur idem & pater non possit, qui pro filio testamentum facit, tanquam si ipse filius sibi heredem instituisset §. 2. l. de pupill. substit. Nihil dicit, si cum HEINECCIO in Elem. iur. ciuil. §. 561. num. 4.

in

Ab eo, qui  
exheredato  
substitutus  
est, legata  
relinqui  
non possunt,  
Et quare?

in nos. generalem illam regulam: *neminem esse magis onerandum, quam sit honoratus, pro ratione reddis.* Amabo enim te! quis in hac specie: *si filius meus exheres in impubertate moriatur: ei Maeuius heres esto, a quo Sempronio centum do lego,* quis, inquam, in hac specie magis oneratur, quam sit honoratus? Non filius exheredatus. Is enim non oneratur omnino. Neque enim ab exheredato legatum est relictum, sed potius ab eo, qui filio exheredato heres scriptus. Verum neque hic magis oneratus dici potest, quam sit honoratus. Satis enim honoratus est, dum ex pupillari substitutione hereditatem pupilli exheredari lucratur, eiusmodi vero legatum est, ut amplam pupilli hereditatem minime exhaustat (per hypothec.). Frustra etiam es, si cum ECKOLDO in Compend. Pand. §. 18. b. t. ideo substituentem ab exheredari substituto legare non posse assertis, quia non de suo, sed magis de alieno dare videtur, dum scilicet non suam hereditatem, sed alienam legato obnoxiam reddit. Enimvero concedo, testatorem sic non de sua, sed pupilli hereditate legatum dare. Verum quid tum? Sane postquam testatori leges semel facultatem indulserunt de aliena eriam hereditate disponendi, & filio impuberi, quamvis exheredato, testamentum faciendi, non est solida ratio, eidem a filii, tametsi exheredati, herede instituto legandi facultatem denegandi. Et quaeſo! quid magis naturale est, quam ut uno irregulari semel admisso, inde sequantur plura? Denique nihil lapis, si cum VINNIO in Comment. ad §. 4. I. de pupill. subſt. num. 3. hanc legum dispositiōnem cum principiis iuris conciliari posse arbitraris ea ex ratione, quia ab ipso exheredato legari aut fidei eius committi non potest. I. 41. §. 3. ff. b. t. Ergo nec a substituto eius poterit. Ratio enim non patitur, ut plus iuris habeat testator circa personam substituti, quam habet in eo, cui substituit. I. 87. §. 7. verſ. dicet aliquis. ff. ad leg. Falcid. Enimvero manifesta est disparitatis ratio. Ab exhereda-

34 De pupillariter substituto heredes legitimos,

redato filio testator ideo non potest legatum aut fidei-commissum dare, quia eum non honorauit. Arqui vero substitutum satis honorauit, dum eum instituit in hereditatem exheredari. Adeoque minime par est in vitroque ratio. Certe si testator filium impuberem instituisset in suo testamento: sine dubio & ab hoc potuisset legata aut fideicomissa relinquere. Cur ergo pater in persona substituti idem facere non possit, quem utique instituit. Et hoc ipsum euincit l. 87. cit., neiquam vero id, quod ex ea VINNIVS elicere voluit. Quid ergo iam reliquum? ut scilicet maneam in mea thesi, dispositionem l. 24. C. de legat. l. 41. §. 3. ff. de test. milit. & l. 126. de leg. i. continent singulare quid & quam maxime irregularare, quod nulla alia ratione solida nititur, quam fortasse exhereditationis odio.

§. XX.

*Substitutus Substitutio pupillaris exheredato facta continet exheredato unicam conditionem omnibus substitutionibus pupilla-conditione ribus communem: SI IMPVBES IN HAC AETA-existente in TE DECESSERIT, qua deficiente substitutio pupillaris evanescit; existente vero, pupillo exheredato substitutus in uniuersa eius bona succedit, exclusis legi-bus heredibus. Propositio prima patet ex (§. XVII.) & ex schol. I. ad §. XIX. Secundam demonstratam dedi supra (§. XVIII.). Tertiam sic probo: Substi-tutio pupillaris est testamentum impuberis, in quo substitutus bonorum pupillarium heres instituitur (§. XIV.) sub hac conditione: si in impuberi aetate deceperit (per propos. prim.). Pone iam, defuncto intra impubertatem filio, hanc conditionem extitisse: & tunc utique ex institutione conditionali sit pura (per notiss. Log. & Iur. de condit. princ.), adeo-que,*

que, qui adhuc ab ea suspensus fuit, institutionis effectus iam suspensus esse definit, nec amplius quidem obstat, quo minus institutus in vniuersa pupilli defuncti bona heres succedat, voluntati testatoris conuenienter. Quod vero in propositione addidi: *exclusis legitimis heredibus*, difficultate non laborat. Nam pupillariter substitutus est heres pupilli testamentarius (idque, siue pupillarem substitutionem testamentum, quod verius est, siue substitutionis directae speciem dicas, vid. supra §. V.). Atqui vero explorati iuris est, heredibus legitimis non deferri hereditatem, quamdiu adest testamentarius l. 39. l. 70. pr. ff. de acquir. hered. Et quid opus ratiociniis, vbi non silent leges. Ita enim in hanc rem enunciat §. 4. I. de pupill. subst. Itaque eo casu, si quid exheredato pupillo ex hereditatibus legatis, aut donationibus propinquorum atque amicorum acquisitum fuerit: id omne ad substitutum pertinebit & l. 10. §. 5. ff. b. Ad substitutos pupillares pertinent, & si quae postea pupillis obuenerint: neque enim suis bonis testator substituit, sed impuberis: cum & exheredato substituere quis possit. Ecce, hic pupillariter substituto omnia pupilli, etiam si exhereditati, bona addicuntur, vnde vnde quaesita. Neque hoc mirum, quia perinde est, tanquam si ipse filius heredem sibi instituisset. §. 2. I. de pupill. subst. Adde l. 7. C. de impub. & al. subst. vbi pupillariter substitutus post euentum conditionis ex pupillari testamento heres factus declaratur, intestati successionem excludens. Denique adde & hoc, quod substitutio-  
nis pupillaris finis utique is sit, vt ne heredes legi-

36 *De pupillariter substituto heredes legitimos,*  
timi hereditatem impuberis nanciscantur. (Schol. I.  
ad §. X.).

Caeterum non ausim ego his, quae hactenus de substitutione pupillari exheredato facta dicta, omnem omnino in foris hodiernis usum denegare, quamvis rariorem esse lubens largiar, postquam nimirum vetus illa & illimitata in exheredandis atque praetereundis liberis parentum potestas postea non nihil restricta, quia nouerealibus delinimentis instigationibusue corrupti saepe maligne circa languinem suum inferebant iudicium l. 4. ff. de invff. test.; & tandem Nov. 115 cap. 3. certas definiti exheredationis causas, nominatim testamento inferendas, quae omnes insignem malitiam & ingratisitudinem sapient, qualis in imuberem vix eadere potest. Sed quid? si malitia aetatem suppletat. Tunc profecto eriam impuberem exheredari posse non negauerim.

§. XXI.

*Substitutione pupillaris exheredato factam substitutionibus directis neutiquam adnumerari posse, sed potius esse nouum testamentum & primam heredis institutionem.* Ita enim argumenter: Cuicunque non competit definitio substitutionis, illud non est substitutio (per reg. log.). Atqui substitutioni pupillari exheredato factae non competit definitio substitutionis. Ergo substitutio pupillaris exheredato facta non est substitutio. Quidquid non est substitutio generatim, illud nec substitutio directa in specie esse potest (per princ. log.). Atqui substitutio pupillaris exheredato facta non est substitutio generatim (per syllog. prior.). Ergo substitutio pupillaris exheredato facta nec substitutio

Aicutio directa in specie esse potest. Omnia hic redeunt ad probationem minoris prioris syllogismi, quod scilicet substitutioni pupillari exheredato factae non competat definitio substitutionis, quae propositio probatu non est difficilis. Quamuis enim in substitutione pupillari semper adsit institutio heredis anterioris (pater enim pupillariter substituere non potest, nisi & sibi faciat testamentum §. XIII.), adeoque ipsa substitutione pupillaris sit heredis vterioris institutio: tamen haec heredis vterioris institutio non sit priori *subordinate*, quippe quae vox hoc loco non hoc sibi vult, quod heredis paterni institutio antecedere debeat, si pupillarem suam consequi efficaciam velimus (quo sensu acceptam subordinationem concedere debemus ob §. 5. I. de *pupill. subst.*), sed potius hoc innuit, in ipsa hereditatis delatione & successione certum ordinem certosque gradus esse seruandos, ut eleganter ait ICtus in I. 2. §. 6. ff. b. r. adeo, ut ad eandem ambo hereditatem, alter tamen primo, alter secundo gradu sint vocati (vid. quae dixi in schol. I. ad §. I. & schol. I. ad §. IV.). Iam vero essentiale substitutionis hoc est, ut sit heredis vterioris institutio heredi anteriori instituto *subordinate* facta (§. I.). Patet itaque substitutioni pupillari exheredato factae definitionem substitutionis non conuenire, adeoque illi inter species substitutionis directae minime locum esse concedendum, id quod etiam ex iis posset probari, quae dixi supra ad (§. IX.). Et hoc erat *primum*. Ad *secundum* quod attinet, scilicet, quod pupillaris substitutione sit nouum testamentum, huius de-

38 *De pupillariter substituto heredes legitimos,*  
monstrationem anticipatam dedi (§. XIV. & schol. i.  
ibidem.).

Ex hoc ipso vero fluit prono alueo etiam *tertium* huius §. membrum, nimirum quod pupillaris substitutio sit potius heredis institutio *prima*, quam substitutio. *Priman* enim heredis institutionem vocamus, quando quis, nullo herede anteriore in eodem testamento & in eandem hereditatem instituto, heres instituitur, vel instituto quidem, ei tamen non subordinatur, seu, quod idem est, quando quis primo gradu heres instituitur (schol. i. ad §. I. & schol. i. ad §. IV.). Atqui vero exheredato pupillariter substitutus instituitur in peculiari testamento (per propos. secund.), in quo nullus heres anterior est institutus, cui ipse subordinare esset institutus, h. e., instituitur pupillo exheredato heres gradu primo (quod quam clarissimum esse debet formulam eiusmodi substitutionis inspicienti. Schol. i. ad §. XIX.). Ergo substitutio pupillaris exheredato facta non est substitutio, sed potius noua heredis institutio prima.

Hac demonstratione profecto non video, quid magis conuincere, quid assensum extorquere fortius possit. Quare nunquam potui non valde mirari, a DD. tantum non omnibus substitutionem pupillarem indistincte inter substitutionis directae (nam substitutionibus fideicommissariis illam quenquam DD. adhuc accensuisse, ego quidem non memini), species referri. Sed haec de substitutione pupillari exheredato facta sufficiant. Quid de illa substitutione pupillari sentiendum, quae pupillo *instituto* sit, iam examinandum.

§. XXII.

§. XXII.

Si impuberi *instituto* pupillariter substituitur: *Instituto*  
tunc vel ita ei substitui potest, ut, si *impubes heres* *pupillari-*  
*non erit*, & in *impubertate* *decesserit*, alius heres sit: *ter substitu-*  
vel ita, ut, si *impubes heres erit*, & in *impubertate* *de-*  
*cesserit*, alius sit heres. Id quod probare velle esset  
actum agere.

§. XXIII.

Si *impuberi filio* *pupillariter* *substituitur* *ita*, ut, *Formulae*  
*SI HERES NON ERIT*, & in *IMPUBERTATE* *si heres non*  
*DECESSERIT*, alius heres sit: tunc *dispositioni qui-* *erit*, *ineft*  
*dem expressa substitutio ineft*, *sed vulgaris illa*; *substitutio*  
*praeter hanc vero nulla adeft substitutio directa*, *sed vulgaris*.  
potius nouum testamentum & heredis *institutio pri-*  
*ma*. In hac dispositione: *filius meus heres esto*, *si fi-*  
*lius meus heres non erit*, & *impubes decesserit*: tunc  
*Seius heres esto* duo continentur testamento, alterum  
patris, quod ita se habet: *filius meus heres esto*; *si*  
*filius meus heres non erit*: tunc *Seius heres esto*. Al-  
terum filii huius tenoris: *si filius meus impubes deces-*  
*serit*; *Seius ei heres esto*. (§. XIII. XIV. & Schol. 3.  
ibid.). Ex hac analysi resultat 1) patris testamento  
expressam substitutionem contineri: *si filius heres*  
*non erit*: tunc *Seius heres esto*. Hanc vero substi-  
tutionem *vulgarem esse*, patet ex ipsa definitione sub-  
stitutionis *vulgaris*. Est enim haec substituendi for-  
mula talis, ut nihil contineat singulare, sed ita quilibet  
possit substituere cuilibet a se *instituto*. (§. X.)  
pr. I. de *vulg. subst.* Ex eadem analysi resultat 2),  
praeter hanc substitutionem, quae ad paternum te-  
stamen-

stamentum referenda, non adesse, nisi filii impuberis testamentum. Atqui in hoc nulla continetur substitutio. Enim uero in filiali testamento vnicus est heres institutus, per consequens hic nulla adest heredis anterioris & heredis ulterioris institutio, adeoque nec substitution aliqua, nedum directa, cogitari potest (§. I. & IV.). His positis per se patet 3), praeter paternum testamentum & in eo expressam substitutionem vulgarem, potius adesse nouum filii testamentum & heredis institutionem primam, quam substitutionem. Huc egregie transferri potest demonstratio supra ad (§. XXI.) suppeditata.

Et in hoc LL. atque DD. omnes facile conueniunt, formulam; *si heres non erit*, substitutioni vulgari propriam esse.

§. XXIV.

*Si filio impuberi pupillariter substituitur ita, ut  
SI HERES ERIT, ET IMPVBES DECESSERIT,  
alias heres sit: dispositioni prorsus nulla ineſt expreſſa ſubſtitutio directa, ſed potius duo iterum teſtamen-  
ta & duae heredis iſtitutiones primae. In hac for-  
muла: filius heres eſto; ſi filius heres erit, & impu-  
bes decedet: tunc Seius heres eſto, primum pater ſibi  
facit teſtamentum, eoque filium heredem iſtituit;  
deinde etiam filio heredem ſcribit nempe Seium, in  
casum, ſi filius impubes decedet (§. XIII.), adeoque  
duae continentur heredis iſtitutiones, duo teſtamen-  
ta (§. XIV.). Et quamuis Seii iſtitutio ſit heredis  
iſtitutio vltior, (ante eum enim filius eſt iſtitu-  
tus): tamen non eſt ſubſtitutio directa. Nulla enim  
ſubſtitu-*

substitutio facta cum formula: *si institutus heres erit, est substitutio directa* (§. VIII.). Atqui institutio Seii est substitutio facta cum formula: *si institutus heres erit* (per hypoth.). Ergo institutio Seii non est substitutio directa. Adde, si rationum es cupidus, & hoc, quod filius impubes & Seius non sint instituti in eodem testamento & in eandem hereditatem, (ille enim in paterno testamento & in paternam hereditatem, hic in filii testamento & in filii hereditatem est institutus. Ergo & ex hoc capite institutio Seii non est substitutio directa (§. IV.). Ex dictis, quod nimurum in hac specie duae sint heredis institutiones, in peculiari quaevis testamento facta, quarumque ideo neutra est alteri subordinata (vid. demonstr. ad §. XXI.), per se liquet, utramque esse heredis institutionem primam (§. I. & schol. 1. ibid.).

Et iam lege Scholion, quod attuli supra ad (§. VIII.). Caererum hic erat casus, haec formula substitutioni pupillari propria, quae etiam *casus secundus* dicitur, cum illa formula: *si heres non erit, primus vocetur l. 4. pr. Et §. 2. in fin. ff. b. t.*

### §. XXV.

*In substitutione pupillari impuberi instituto facta* Sub barum  
sub formula: SI HERES ERIT, a testatore expressa, altera ex-  
in dubio etiam subintelligitur altera non expressa: SI pressa alte-  
HERES NON ERIT Et in impubertate deceperit, Et rā non ex-  
vice versa. Quare quem testator filio impuberi insti- pressa sub-  
tuto pupillariter substituit in casum primum, eundem auditur.  
in dubio Et in casum secundum substituisse censendus  
est, Et vice versa. Ita clarissimis verbis habet L. 4. pr.

F

Et

*& §. 2. ff. b. t.* Item L. 4. C. de impub. & al. suffit.  
 Ratio huius dispositionis est praesumta testatoris voluntas. Hic magis substitutum dilexisse censendus est heredibus ab intestato. Ergo in dubio semper ita interpretanda est ultima voluntas testatoris, ut potius substitutus hereditate potiatur, quam heredes ab intestato. Pone autem, casum secundum sub primo non contineri: tunc casu primo expresso, sed deinde casu secundo existente, filioque intra impubertatem mortuo, huius hereditatem vna cum paterna accepturi sunt heredes legitimi, excluso pupillariter substituto, ob conditionem scilicet substitutionis deficiente. Sed pone iterum, casum primum non contineri sub secundo: tunc casu secundo expresso, postea vero casu primo existente, pupilloque ante pubertatem mortuo, iterum deficiet conditio substitutioni adiecta. Ergo iterum substitutionem euanscere, & successionem ad heredes ab intestato deuoluui necesse erit. Id quod utrumque praesumptae testatoris voluntati contrarium est. Quoniam vero praesumtio veritati cedere debet: consequens est, ut secus pronunciandum sit, si de testatoris voluntate in alterum tantum casum substituere volentis constet. Et hinc intelligis, quid sibi velit illud: *in dubio*.

## §. XXVI.

*Diversio substitutionis pupillaris in expressam & tacitam.* Iam capies, credo, cur DD. substitutionem pupillarem in *Expressam* & *tacitam* diuidant. Nimirum formula substitutionis pupillaris propria haec est: *si heres erit* (Schol. ad §. XIV.), *cum altera: si heres non erit, & impubes deceperit*, substitutionem vulga-

vulgarem inferat (§. XXIII. & Schol. ibid.). Igitur si formula prior testamento inserta: adest substitutione pupillaris *expressa*. Sin posterior: tunc expressam testamentum continet substitutionem vulgarem. Quia tamen formulae vulgari formula substitutionis pupillaris tacite ineft (§. XXV.): ideo hoc casu substitutione pupillaris *tacita* adest dicitur. Eodem prorsus modo etiam vulgarem substitutionem, quatenus in testamentis, quibus impuberi in casum, si in pupilli aetate decesserit, substitutitur, obvia est, in *expressam & tacitam* diuidi posse, vel me non monente perspicias. Nempe quoties adest substitutione pupillaris tacita, toties adest vulgaris *expressa*, & quoties *expressa* est pupillaris, toties vulgaris est *tacita*, nisi ponas, utramque simul *expressam* esse, qualis est formula in *pr. I. de pupill. subst.* Et hanc posteriorem divisionem admitto, illam priorem vero refficio, quia formula: *si heres erit, nulla substitutio est* (§. XXIV.). Substitutionem vero in *expressam & tacitam* diuidere velle, ubi nulla est substitutione, nunc quid hoc est nodum in scirpo quaerere?

§. XXVII.

*Si instituto pupillariter substitutur cum formula: Effectus  
SI HERES NON ERIT, & IMPVBESES DECESSE. substitutio-  
RIT: tunc utraque conditione existente substitutus-nis pupilla-  
utriusque & patri substituenti & filio impuberi heres ris cum  
existit, exclusis utriusque legitimis heredibus. Pone,  
patri defuncto filium institutum heredem non existi-  
tisse, eoquod e. g. iam ante patrem mortuus est, vel  
a paterna hereditate se abstinuit: tunc existit condi-*

44 *De pupillariter substituto heredes legitimos,*

tio suspensiua, sub qua substitutus in paterno testamento est institutus (vid. demonstr. ad §. XXIII.). Atqui existente conditione suspensiua, sub qua quis institutus, si vrique ad successionem eius, in cuius testamento est institutus, est admittendus, quia tunc ex institutione conditionali sit pura (per notiss. iur. pr.). Ergo si patri defuncto filius heres non extitit, substituto ad hereditatem aditus pateat, oportet. Et quoniam praeterea substitutus est heres testamentarius (§. V.): consequens est, vt, exclusis etiam legitimis heredibus, hereditatis defuncti emolumento gaudeat (per demonstr. ad §. XX. prope fin.). Ade, si argumentis abundare amas, & hoc: substitutus in substitutione vulgari ad hereditatem recte adspicat, quoties heres institutus deficit. *L. vn. §. 13.* *C. de caduc. toll.* Atqui pupillariter substitutus cum formula: *si filius heres non erit*, est vulgariter substitutus (§. XIII.). Ergo recte ad hereditarem adspicit, si filius institutus heres non extitit. Denique & *pr. I. de pupill. substit.* allega. Ibi: *quo casu* (cicilicet factae substitutionis pupillaris cum formula: *si filius heres non erit*), *siquidem non extiterit heres filius, tunc substitutus patri fit heres.* *Id quod erat primum.*

Pone porro, institutum impuberem deceisse: & tunc existit conditio suspensiua, sub qua eidem est pupillariter substitutum (per demonstr. ad §. XXIII.). Hac vero existente substitutus in uniuersam eius, cui est pupillariter substitutus, hereditatem succedit (per demonstr. ad §. XX.). Et cum pupillaris substitutio sit testamentum filii, in quo pupillariter substitutus eidem heres est scriptus (§. XIV. & XXIII.): quis dubitet,

bitet, hunc conditione substitutionis existente vniuersam filii hereditatem nancisci? Sed & hic leges non desiderantur, quibus, quae dixi, expreſſis verbis continentur, nimirum L. 10. §. 5. ff. b.t. L. 7. C. de impub. &c al. ſubſt. Id quod erat ſecundum.

Posteriori propositioni non obſtar, quod Imperator L. c. I. dicit: *tunc ſubſtitutus patri fit heres.* Inde enim non licet inferre: Ergo ſubſtitutus filio impuberi non fit heres. Imperator enim non loquitur exclusiue, adeoque poſitio vnius non ſtatiuſ debet haberi exclusio alterius. Imperator dicit: *tunc ſubſtitutus patri fit heres,* nimirum ſtatiuſ, vbi conſtar de morte testatoris, & filium eidem heredem non extitit. Ipsi filio vero non ſtatiuſ fit heres, ſed exſpe-ctandus eſt euentus conditionis: *ſi in impubertate deceſſit.* Et haec fortalſe eſt ratio, cur Imperator ſolum dixerit: *tunc ſubſtitutus patri fit heres.* Sed quid? ſi caſu in-uerſo ponamus, filium impuberem ante patrem deceſſiſſe. An hoc caſu ſubſtitutus ex testamento impuberis eidem et-iam ſtatiuſ ſucceſſit? Reſp. minime. Licet enim diem ſuum obierit is, cuius in testamento ſubſtitutus eſt iſtitutus: ta-men testator adhuc in viuis eſt (§. XV.). Viuo vero testa-tore nulla fit efficax heredi ſcripto iuriſ hereditarii delatio, quia reuocabilis eſt ultima testatoris voluntas uſque ad mor-tem eius (Schol. ad §. XV. n. 2.).

### §. XXVIII.

*Si iſtituto pupillariter ſubſtituitur cum formu- la: SI HERES ERIT, & IMPVBES DECEſſERIT: ſubſtitutio-*

*tunc utraque conditione exiſtente ſubſtitutus capit qui- niſi pupilla-*

*dem & patris ſubſtituentis & filii impuberis bona, ex- ris cum for-*

*cluſis legitimiſ heredibus, non tamen patri ſubſtituen- mula pu-*

*ti, ſed ſoli filio heres exiſtit. Quamprimum ex testa- pillari.*

mento paterno patri defuncto heres extitit filius:

F 3

mox

46 *De pupillariter substituto heredes legitimos,*

mox factus est bonorum paternorum dominus (per notiss. iur. pr.). Iam pone & filium in impubertate decedere: & existet conditio suspensiva, sub qua pupillariter substitutus in filii testamento est institutus (§. XXIV. §. XVII.). Ergo institutio conditionalis iam transit in puram, & pupillariter substitutus impuberi defuncto heres succedit, & quidem quia heres testamentarius est (§. V.), heredibus legitimis exclusis (vid. demonstr. ad §. XX.). Iam vero heres succedit in vniuersa bona defuncti (per notiss. iur. pr.). Ergo & pupillariter substitutus in vniuersa mortui impuberis bona succedat necesse est, quia nimis est heres impuberis (per mox demonstrata). Atqui in bonis impuberis, qui patri heres extitit, etiam sunt bona paterna. Ergo & bona patris substituentis ad pupillariter substitutum perueniunt. Sed ex his & hoc simil perspicuum est, pupillariter substitutum patri substituenti ideo non fieri heredem. Non enim accipit bona patris substituentis, quasi huius heres esset, sed ea accipit qua heres impuberis filii factus, in cuius hereditate iam existunt bona patris substituentis. Si adhuc dubitas; ita te conuinco. Si pupillariter substitutus patri esset heres: tunc vel heres primus vel substitutus. Non *primus*, quia in patris testamento solus filius est primo gradu heres scriptus, (id quod ex inspectione talis testamenti mox liquet). Sed neque *substitutus* heres patri substituenti esse potest. Nam in tali substitutione prorsus nulla contineatur substitutio (per §. XXIV.). Ergo pupillariter substitutus patri substituenti prorsus non existit heres. *Et hoc erat, quod demonstrandum.*

Possem

Possem & in hac specie legibus stipatus incedere. Duas potiores in medium attulisse sufficiat, nimirum pr. I. de pupill. subſt. & l. 10. §. 5. ff. b. t. quarum difficile tibi iam non erit intellectum affequi. Textus prior hic est: *Si vero extiterit heres filius, (nimirum ex formula testamenti: si heres erit), & ante puberitatem decesserit: ipsi filio sit heres substitutus.* Ecce! hic Imperator non dicit, *substitutus patri sit heres*, ut quidem in formula priori: *si heres non erit*, quippe in qua substitutus omnino patri sit heres, ex substitutione nimis vulgari (vid. §. XXIII. §. XXVII.), sed potius animo maxime deliberato dicit: *ipsi filio sit heres*, & sic cum mea thesi quam suauissime consentit. Textus alter ita se habet: *Ad substitutos pupillares pertinent, & si qui e postea pupillis obuenient: neque enim suis bonis testator substituit, sed impuberis.* Valde haec iterum faciunt ad rem meam. Ait enim ICtus, pupillariter substitutum accipere omnia impuberis bona, unde vnde acquisita, etiam post tempus factae substitutionis, adeoque & ea, quae ex patris hereditate in pupillum profecta sunt, addita hac egregia ratione: *neque enim suis bonis testator substituit, sed impuberis, h.e., pater, dum pupillariter substituit (vriue cum formula substitutioni pupillari propria: si filius heres erit), pupillariter substitutum non sibi, sed filio impuberi heredem scribit.*

Et iam, ni fallor, perspicies sensum l. 5. C. de impub. & al. subſt. quam supra ad (§. VII.) allegavi, quae dicit, substitutiones directas, post aditam hereditatem exspirare, nisi sint impuberibus filiis factae. Nimirum quoties ex formula substitutionis pupillaris propria, (sive tacita, sive expressa) succeditur, toties substitutio post aditam hereditatem non exspirat, h.e., tametsi pupillus institutus patris hereditatem adiit, propterea tamen spes pupillariter substituti non exinguitur, sed is ex substitutione pupillari filio impuberi sit heres, si modo contingat, vt hunc praematum fatum abripiat. Sed an hoc vniuersalitatem propositionis

48 *De pupillariter substituto heredes legitimos,*

tionis supra (§. VII.) contentae tollit? neutquam. Nego enim, formulae substitutionis pupillaris propriae substitutionem directam vere inesse (§. XXIV.).

§. XXIX.

*Quoties instituto pupillariter substitutus, toties substitutus & patris & impuberis bona accipit.*

1) *Quod, quoties substitutio pupillaris instituto facta & impubes ante pubertatem moritur, toties substitutus non impuberis solum, sed & testatoris substituentis bona acquirat, exclusis legitimis heredibus.* Quod acquirat hereditatem impuberis, etiam exclusis eiusdem heredibus ab intestato, demonstratum dedi (§. (XXVII. XXVIII.)). Quod vero etiam testatoris substituentis bona in substitutum deuoluantur, sic ostendo. Si instituto pupillariter substitutus: tunc vel substitutus in casum: *si impubes heres non erit*; vel in casum: *si heres erit* (§. XXII.). Si prius: vel haec conditio existit; & tunc substitutus patri substituentis succedit ex substitutione vulgari expressa (§. XXIII. XXVI. XXVII.). Vel non existit, quia impubes scilicet patri factus est heres; & tunc substitutus bona substituentis accipit ex substitutione pupillari tacita (§. XXV. XXVI. XXVIII.). Sin posteriorius: vel conditio: *si impubes heres erit*, existit; & tunc substitutus ex substitutione pupillari expressa una cum hereditate impuberis accipit etiam bona substituentis (§. XXVI. XXVIII.). Vel conditio illa non existit; & tunc substitutus ex substitutione vulgari tacita in bona substituentis succedit (§. XXV. XXVI. XXVII.).

*Intellige tamen haec, addita interdum determinatione:*

in

*in dubio.* Id quod monere non habebam necesse. Iam enim supra monui (§. XXV.), ad quem in demonstratione prouocau. Sed quid? si quis exheredato pupillariter substituitur. Resp. Distingue. Vel pupillariter substitutus in patris testamento simul est institutus, e. g. *Titius mibi heres esto, filius exheres.* *Quodsi filius ante puberitatem decesserit: idem Titius ei heres esto.* Vel in patris testamento aliis est heres institutus, e. gr. *Sempronius mibi heres esto, filius exheres, qui si impubes decederet: Titius ei heres esto.* Casu priori pupillariter substitutus & patri & filio, ante pubertatem mortuo heres succedit; casu posteriori *filio tantum*, id quod per se manifestum est.

## §. XXX.

Ex dictis colligo

- 2) *Sic dictam substitutionem pupillarem non esse substitutionem, sed a DD. tantum abusive inter substitutionum numerum referri;* quid ergo? *esse potius testamentum, quo ascendens descendenti heredem (primum) instituit.* Substitutio pupillaris enim vel exheredato fit, vel instituto. Si prius: non est substitutio, sed potius testamentum a patre filio impuberi factum, & heredis institutio prima (§. XXI.). Sin posteriorius: tunc vel facta est cum formula: *si institutus heres erit, vel cum formula: si heres non erit* (§. XXII.). Vtique casu non est substitutio, sed iterum testamentum a parente liberis factum, & heredis institutio prima (§. XXIII. XXIV.). Ergo substitutio pupillaris in nullo casu est substitutio, sed potius vbique nouum testamentum a parentibus liberis factum, & sic noua institutio heredis primi, per consequens abusus est, si a DD. speciebus substitutio.

G

50 *De pupillariter substituto heredes legitimos,*

tutionis adnumeratur. Et quamuis §§. laudati id tantum eloquentur, substitutionem pupillarem non esse speciem substitutionis *directae*: tamen si demonstrationes eisdem subiunctas intueris, deprehendes, eas euincere, substitutionem pupillarem neque *oblique* substitutionis naturam habere, nec eius conceptum *substitutionis generatim consideratae* applicari posse. Neque ex incuria quadam, sed praemeditato consilio propositionem meam terminis tam generalibus enunciaui, ut etiam de substitutione *quasi pupillari* capi possit. Haec enim quamuis cum pupillari stricte sic dicta non ubique conueniat: ea tamen cum illa habet communia, ex quibus ostendi, substitutionem pupillarem stricte sic dictam non esse substitutionem, sed potius testamentum a parentibus liberis factum, quod sigillatum demonstrare iam non vacat. Quare haec omnia etiam ad substitutionem *quasi pupillarem* possunt applicari.

*Idem ulte-  
rius expen-  
ditur.*

i. Hem! exclamabis, haeresin. Hem! sententiam in Ictorum republica inauditam. Verum, amabo te, parcius ista. Haereticus non est, qui DD. deserit, vt satis menti legum & ipsi rerum concepibus faciat; Nunquid ego ex claris legum verbis, nunquid ex ipsa substitutionis definitione, quam ipsi DD. improbare non possunt (Schol. 2. ad §. I.), hanc sententiam hausit? id quod per singulos eunti paragraphos mox patet. Sed neque inaudita est haec doctrina, aut in meo cerebro nata. Sunt maximi nominis Icti, quibus idem mecum iudicium est. Euolue  
B. BOEHMERI *Introductionem in Ius digestorum*, inspice titulum de vulg. *& pupill. substit.*, lege §. X. & nunquid in haec verba incidis? *Substitutio pupillaris revera magis videtur esse noua institutio, seu testamentum a patre liberis*

ris

vis factum, quam substitutio. Sed audiamus etiam VIN. NIVM in Comment. ad rubr. I. de vulg. substit. num. 4. in hanc rem ita eloquentem: *Sola vulgaris substitutio proprie substitutio est, pupillaris non tam substitutio, quam institutio prima, utpote per quam substitutus non testatori succedit & gradu secundo, sed pupillo & gradu primo, tanquam ab ipso primo loco institutus.* Et ad rubr. I. de pupill. substit., vbi eadem fere verba repertur, addit: *quod evidenter appetat in substitutione exhereditati.* Denique etiam laudare possum Praeceptorem meum, qui mihi omnium instar est Virum Celeberr. D. NETTELBLADT, qui in System. element. vniuers. iur. posit. tom. 2. §. 191. 192. 193. ait, doctrinam de substitutione pupillari sller esse conci- piendam ex mente DD. substitutionem pupillarem ad species substitutionis directae referentium; aliter vero ex mente legum, & secundum has substitutiones pupillares potius esse noicas hereditatis institutiones, quam proprias substitutiones; deinde vero vtramque definit per dispositionem, qua parentes liberis intestabilibus heredem constituunt in casu, si in statu inhabilitatis decesserint. Obiecties: Ipsae LL. substitutionem pupillarem non semel substitutionem dicunt. Resp. dicunt, sed abusive, quales locutiones in Corpore Iuris non sunt infrequentes. Ego non, quo nomine vitantur leges, attendo, sed quid res ipsa ferat, & quae mens sit legislatoris, considero. Certe quamuis legatum in §. 1. I. de legat. donatio dicatur: tamen, me unquam inter species donationis, quas adferunt DD. legatum invenisse, non memini. Quare tametsi substitutio pupillaris in legibus substitutionis nomen ferat: ideo tamen species substitutionis non statim est constituenta. Praeterea suspectum dices, quo supra in (Schol. I. ad §. XIV.) ad colorandam sententiam meam vsus sum, argumentum. Licet enim leges pupillarem substitutionem testamentum dicant: tamen nullibi dicunt esse nouum testamentum, a testamento paterno differendum. Imo potius leges

52 De pupillariter substituto heredes legitimos,

leges afferunt, esse tantum quodammodo duo testamenta  
§. 2. I. de pupilli. substit. Et L. 20. pr. ff. b. t. ait expressis  
verbis, testamentum patris & filii p. 40 uno haberi. Verum  
horum textrum explicationem iam anticipavi supra (§.  
XIV. & Schol. 2. ibid.). Nimurum sunt duo testamenta di-  
uersa ratione materiae & quod heredum in diuersas he-  
reditates institutionem. Et hoc ad stabiliendam sententi-  
am meam sufficit. Sint ratione formae testamentum non  
nisi unum, quid hoc ad me? Ego enim robur meas pro-  
bationis non in duplicate formae posui, sed in duplicata  
materiae & institutionum in diuersas hereditates non  
subordinate factarum.

Proponitur  
quaestio  
principalis.

2. Hactenus accum de iure substituti ex substitutione  
pupillari heredes legitimos pupilli excludentis. Verum  
haec omnia dicta velim, si rite substitutio pupillaris fa-  
cta. Reliquum est ostendere, an, si ex legitimis filii  
impuberis heredibus adsunt, quibus in legitimam deber,  
quorumque ideo in pupillari testamento instituto, saltim  
in legitima, necessaria videtur, an, inquam, si hi in pu-  
pilli testamento exclusi aut praeteriti, pupillatis substitu-  
tio nihilominus subsistat, an vero corruat; an substitu-  
tus in successione his preeferatur, an hi substituto; & si  
prius, an saltim legitimam a substituto petere possint, an  
vero omnis eis denegetur actio. Personae, quibus quis le-  
gitimam deber, sunt descendentes, ascendentis & cetero ca-  
su collaterales. De descendantibus quaestio hic est otiosa.  
Impubes enim supponit, qualis nondum est procrean-  
dis liberis aptus. De fratribus itaque pupilli atque sorori-  
bus, deinde & de eiusdem ascendentibus, matre preeci-  
pue, iam videndum.

§. XXXI.

Impuberis  
frater in  
frater aut soror, (quod multo magis de ulterioris gra-  
dus

dus collateralibus dixerim, ob L. i. ff. de inoff. test.), testamento in testamento pupillari exclusi, id ob solam exclusionem pupillari efficaciter impugnare non possunt. Quoties enim quis suo iure agit, nobis vero nulla infertur iniuria: to. ties omni destituimur contradicendi fundamento. Atqui pater filio impuberi testamentum faciens suo id iure facit (§. XV.), fratri (sorori) impuberis vero nullam per exclusionem adfert iniuriam. Nullum enim hi in fratris hereditate ius radicatum habent, nulla eis legitima debetur (per not. iur. pr.). Ergo ob solam exclusionem nullum habent fratris testamento contradicendi, idque ylo modo impugnandi fundamentum.

Sed quid? si pater impuberi substituit personam turpem. Tunc profecto fratri (sorori) in testamento pupilli exclusi competere videtur ius radicatum fratris testamento ob exclusionem impugnandi per claros textus §. I. & l. 27. C. de inoff. testam. Verum enim vero hae leges me non mouent, vt a mea sententia vel latum vnguem discedam. Militat pro me L. 8. §. 5. ff. de inoff. testant. Ibi: Ergo nec frater impuberis (intellige ex antecedentibus) inofficium testamentum dicit. Nimurum vt quis ideo testamentum impugnare possit, quia in eo exclusas est a portione legitima, duo requiruntur, 1) vt ex eius heredite ipsi legitima debeatur, cuius testamentum impugnare vult, 2) vt testamentum etiam sit iudicium ac voluntas eius, cuius testamentum impugnare vult, id quod virumque ex cir. loc. 8. §. 5. manifestum fit. Ibi enim de testatoris fratre dicitur, quod testamentum impuberis impugnare non possit, addita hac ratione: quia filii testamentum est. Nempe iure veteri frater fratris iudicium, per quod a successione excludebatur, omnino potuit impugnare, etiam non praefata persona turpi. Quamuis ita-

Etiamsi  
persona  
turpis ei  
praefera-  
tur.

44 *De pupillariter substituto heredes legitimos,*

que testamentum pupillare sit iudicium patris (Schol. ad §. XV. num. I.): tamen patris frater testamentum pupilla-re *inofficium non dicit*, ex hac sola ratione: *quia non fratri, sed filii* (h. e. ex fratre neporis) *testamentum est.* Deinde etiam mater in d. l. prohibetur testamentum filii impuberis impugnare, ex ea ratione, *quia pater id fecit.* Extra dubium est, marri ex filii hereditate legitimam deberi. Et tamen si non filius ipse, sed pater filii testamentum fecit, ad impugnandum filii testamentum non admittitur. Viden? duo ista, quae dixi, concurrere debere, si quis testamentum, in quo exclusus, efficaciter velit impugnare. Iam haec adplica ad nostrum casum. Concedo nimurum, impuberis fratri ex fratri hereditate legitimam deberi, si turpis ei persona praelata. Verum hoc ad eum casum est restringendum, si frater ipse fecerit testamentum, quod cum in nostro easu factum non sit: recte negat *VLPIANVS*, fratrem impuberis fratri testamentum posse *inofficium* dicere. Fluit enim hoc ex casibus legis duobus antecedentibus de matre & patris fratre. Et iam intelliges, quid in verbis *VLPIANI* sibi velit particula illatiua *ergo.* Nec est hoc sine ratione. Qui enim de eo queritur, quod in testamento sit exclusus, is iudicium testatoris accusat tanquam iniquum, quippe quo ipse, non ingratus, non male meritus hereditate submotus. *I. 3. l. 5. ff. de inoffic. testum.* Atqui frater impuberis non potest fratri iudicium accusare, quia non est iudicium fratri, sed patris (§. XV. in schol. num. I.). Ergo neque de eo queri potest; quod in fratri testamento sit exclusus. Dices fortasse, hic vitramque causam concurre-re. Primum enim fratri legitima debetur ex hereditate fratri, cuius testamentum vult impugnare. Deinde etiam iudicium testatoris omnino potest accusari. Siquidem patris iudicium est, per quod impuberis frater exclusus. Patrem vero filium immerntem excludere non posse certissimum est. Resp. patris quidem iudicium esse, sed

sed tamen non esse patris testamentum, sed fratri. At qui vitrumque ego desiderau. Quod vero sis, patrem non posse filium immerentem excludere: hoc quidem largior, si de patris testamento sermo est, & quando pater de sua hereditate disponit, neutquam vero si facit testamentum pro alio, & de aliena hereditate disponit. Certe si pater fratrem impuberis etiam in suo testamento praeteriuerisset: non paulo fecus esset pronunciandum, quem tamen casum ego in praesentiarum non ventilo.

### §. XXXII.

*Casu substitutionis pupillaris euéniente substitu-* Frater pu-  
*tus succedit in omnia impuberis bona, etiam fratre pili substi-*  
*atque sorore eius penitus exclusis.* Casu substitutio- tuo insuc-  
nis pupillaris euéniente substitutus semper succedit cessione ce-  
in omnia impuberis bona, adeo ut heredes legiti- dere debet.  
mos excludat (§. XX. XVII. XVIII.). Atqui frater  
& soror impuberis sunt eiusdem heredes legitimis.  
Ergo casu substitutionis pupillaris euéniente substitu-  
tus eos excludit, solus vniuersorum bonorum im-  
puberis heres. Sed neque legitimam aliquam pe-  
tere possunt ex hereditate fratri defuncti, vtpore  
quae nulla eis debetur, etiamsi substitutus sit perso-  
na turpis (Schol. ad §. praeced.). Et hinc frater aut  
soror impuberis casu substitutionis pupillaris euén-  
ente a substituto penitus excluduntur.

Non necesse duxi, an substitutus ex substitutione pu-  
pillari expressa, an ex racita succedat, anxi distingue. Par enim est in vrraque ratio. Vtrobique adeit testamen-  
tum impuberis, quod pater ei fecit; vtrobique substitu-  
tus impuberis heres testamentarius est. Ergo vtrobique  
heredes legitimos aequre excludit; vtrobique nulla fratri  
aut

56 *De pupillariter substituto heredes legitimos,*

aut sorori ex hereditate impuberis legitima debetur.  
Quare mirabilis est nonnullorum sententia, in substitutione pupillari expressa fratrem sororemque impuberis excludi a substituto posse, non vero in tacita, statuen-  
tium.

§. XXXIII.

*Idem de  
matre di-  
cendum.*

*Mater impuberis in substitutione pupillari tam  
expressa, quam tacita testamentum impuberis, quam-  
uis in eo sit exclusa, impugnare non potest.* Ita ex-  
pressis verbis habet l. 8. §. 5. ff. de inoffic. testam.  
Ibi: *Sed nec impuberis filii mater inofficium testa-  
mentum dicit; quia pater ei hoc fecit.* Adde c. i.  
*de testam. in 6.* Ibi: *licet autem filius testamento suo  
matrem portione iure naturae debita priuare non pos-  
sit: pater tamen in testamento, quod filio impuberi  
facit, potest.* Cuius rei ratio haec mox additur:  
*nam testamentum huiusmodi pupillare Paternum vel  
paterni pars potius est censendum.* Hisce textibus  
quid, quaelo, potest esse clarius? Sed neque ratio-  
nes deficiunt. Mater enim iterum solido destitui-  
tur fundamento, filii testamento, in quo praeteri-  
ta vel sine iusta causa exheredata, (si enim ex iusta  
causa exheredata esset, nullus foret dubio locus),  
reclamandi. *Pater enim, ut recte dicit VLPIANVS*  
*in cit. l. 8., filii testamentum fecit, idque iure pro-  
prio, vi patriae scilicet potestatis (§. XI. XV.).* Er-  
go, licet sit filii testamentum, patris tamen voluntas  
ac iudicium est (Schol. ad §. XV. num. 1.). Mater  
itaque si impugnare filii testamentum intendit tan-  
quam inofficium & non ex officio pietatis factum:

aut

aut filii iniquum accusare iudicium, aut patris debet *l. 2. 3. 5. ff. de inoff. testament.* Filii non potest; quia non est filii iudicium. Sed nec patris (mariti) potest; quia nullam maritus vxori legitimam debet, & praeterea liberam ex legum indultu accepit liberalis, quos in potestate habet, testamentum faciendi facultatem, nec illam adstrictam ad certas personas, quas instituere necessum habeat *pr. I. de pupill. subf. l. 1. §. 2. ff. b. t.* Adeoque nullam maritus vxori defe querendi occasionem facit, dum illam in filii testamento praeteriuit, quippe iure suo viuis. Et quoniam tam citt. leges impuberis matri querelam in officiosae substitutionis *generatim*, sine vlla inter substitutionem pupillarem tacitam & expressam distinctione, negant, quam etiam ratio a me allata utriusque aequa conuenit: non est, cur matrem excludi quidem posse in substitutione pupillari expressa, non vero in tacita, cum quam plurimis DD. statuamus. Sit enim substitutione tacita: tamen est vere pupillaris; est filii testamentum, sed patris voluntas ac iudicium non minus, quam expressa. *Idem solet obtainere in tacito, quod in expresso, tritum est* ICtorum proverbum.

Intellige tamen, quae de substitutione pupillari tacita dixi, cum limitatione: *nisi de alia constet testatoris voluntate*, quippe quae vti in ultimis voluntatibus generaliter, ita in specie in substitutione pupillari tacita omnino attendenda. *l. 4. §. 2. ff. b. t. l. 4. C. eod.* Conf. supra §.  
25. 26.

H

SOLV-

58 De pupillariter substituto heredes legitimos,  
SOLVVNTVR OBJECTIONES.

OBIIC. 1.) Matri non minus, ac patri liberi legitimam debent, qua si in liberorum testamentis priuantur, omnino testamentum inofficium dicere atque impugnare ad effectum rescissionis possunt, per clarum textum *Nou. 15. cap. 4.* Resp. hoc ita, si ipsi liberi testantur, non vero si pater. Hic enim nullam matri vel potius vxori legitimam debet, sed liberrimam habet de liberorum impuberum hereditate disponendi facultatem; vi patriae scilicet potestatis (per §. XXXIII.). Et hoc ipsum Nouella cit. plus vice simplici non obscure indicat. Ibi: *Sancimus itaque, non licere LIBERIS parentes suos praeterire, aut quolibet modo a rebus propriis, in quibus habent TESTANDI LICENTIAM, eos omnino alienare.* Item: *Si tales igitur causas LIBERI SVIS TESTAMENTIS INSCRIPSERINT &c.* quae profecto locutiones non nisi de liberis, qui ipsi testantur, accipi possunt. Adde, quod ipse IVSTINIANVS dicat *Nou. cit. cap. 5. pr.*, se ideo haec dispositisse, ut parentes a testamentorum iniuria liberos reddat. Atqui si pater testamentum filii fecit, nullam mater in eo exclusa iniuriam accepit. Non a filio; quia hic illam non exclusit. Sed nec a patre; quia is iure suo proprio, legibus sibi induito, hoc fecit.

OBIIC. 2) L 32. C. de inoff. testam., qua omnis dispositio, qua legitimae qualemque grauamen introducitur, sive directe, sive per indirectum, tollenda esse dicitur, quasi nihil eorum testamento additum

*tum esset.* Quodsi vero mater excludi in testamento filii etiam a legitima posset: vtique grauamen legitimae introduceretur. Adeoque dicendum omnino est, matrem in substitutione pupillari excludi non posse, & I. 8. §. 5. ff. de *inoff. testam.* per leges recentiores esse correctam. Resp. grauamen introduci legitimae non posse, vbi legitima nulla debetur. Atqui si pater testatur, legitimam matri non debet, vt iam semel atque iterum inculcaui. Pater filio testamentum facit, non nudo filii nomine, sed ex persona & iure proprio, vi scilicet patriae potestatis. Adeoque respectu matris non considerandus est vt pater, sed vt maritus. Maritus vero vxorem iure excludit, nec ea inofficium dicere testamentum mariti potest.

OBIIC. 3) Substitutio pupillaris licet a patre fiat, tamen est testamentum filii, *tanquam si ipse filius heredem sibi instituisset.* §. 2. I. de *pupil. substit.* Iam vero si ipse filius sibi instituisset heredem: mater exclusa sine dubio de inofficio agere posset. Cur ergo idem non possit, cum pater testamentum fecit? Fecit enim pro filio & loco eius. Iam vero quod quis facit per alium, per se fecisse censendus est. Resp. ipse filius non potuisset quidem matrem excludere, quia talis est, qui matri legitimam debet. Atqui vero pater vxori legitimam non debet. Ergo multo alia est conditio, si pater testamentum fecit, quam quae foret, si ipse filius fecisset. Textus J. allegatus mihi nihil obest. Non enim id sibi

vult, quasi per *omnia* perinde sit, ac si ipse filius heredem instituisset. Hoc enim nimium esset (vid. Schol. ad §. XV.). Eatenuis tantum perinde est, quatenus de *hereditate* eius agitur, neutquam vero perinde id est ratione effectuum, qui a persona *testatoris* dependent. Denique regula illa: *quod quis facit per alium &c.* rem non facit. Nego enim, quod filius faciat testamentum per patrem tanquam memrum instrumentum aut mandatarium. Sed pater id facit iure proprio & vi patriae potestatis, filio tantum passiue se habente (§. XV.).

OBIIC. 4) saltim in substitutione pupillari *tacita* mater substitutum excludit per claram *l. fin. C. de instit. & subst. l. 8. C. de impub. & al. subst.* Adde, quod haec etiam communis sit sententia DD. Resp. postquam ex constitutione Impp. MARCI & VERI formula vulgaris: *si heres non erit*, etiam alteram pupillarem: *si heres erit & impubes accesserit*, in dubio in se tacite complebitur: constantis & certi iuris euasit, substitutum in casum primum, etiam in casum secundum substitutum habendum esse. Quamuis ergo casus prior expressis non extiterit: extitit tamen posterior. Ergo substitutus perinde matrem debet excludere, ac si expresse in casum posteriorem substitutus fuisset, testatoris voluntate praesumta ita iubente, quippe qui non fuisset filio substituturus alium quendam si eo deficiente vel saltim ante pubertatem mortuo matrem voluisset emolumento hereditatis perfueri. Iam vero a certo iure

iure non est recedendum, nisi clarae leges secessio-  
nem imperent. Tales vero non sunt leges *Codicis*  
citatae. Ad primam enim quod attinet, ea habet  
casum, quo quis ita testatus est: *vxor mea prae-  
gnans una cum ventre mibi heredes funto: si vero  
posthumus mibi natus non fuerit: tunc Seius heres  
est.* Contingit, ut testatori posthumus quidem na-  
sceretur, sed impubes iterum decederet. Dispu-  
batur acriter inter *VLPIANVM & PAPINIANVM*,  
an in portione posthami vacante praferenda sit  
mater, an substitutus? Si secundum iuris principia  
casus decidendus: pro substituto esset pronuncian-  
dum. Quamvis enim posthumus natus fuerit, in  
hunc vero casum Seius expresse substitutus non  
sit: est tamen in hunc casum tacite substitutus,  
cum sub formula: *si posthumus non nasceret, &*  
*per consequens si heres non erit,* etiam subintelligen-  
da sit formula: *si heres patri fuerit, sed impubes de-  
cesserit.* l. 4 pr. ff. b. r. (§. XXV.). Verum Impera-  
tor secundum *PAPINIANI* sententiam in matris fa-  
uorem item compositus his verbis: *substitutionem  
in huiusmodi casu, ubi posthumus natus adhuc im-  
pubes viva matre deceperit, responsum esse censens.*  
Ecce! hic est casus substitutionis pupillaris tacitae,  
& mater substitutum excludit. Quid ad hoc? Resp.  
haec lex tantum abest, vt meam thesin feriat, vt  
illam potius confirmet. Nimirum ego dixi: *in du-  
bio, & nisi ex probabilibus coniecturis de contra-  
ria testatoris voluntate constet, substitutus matrem  
excludit* (vid. Schol. ad §. XXXIII.). Certe in hoc  
casu

62 *De pupillariter substituto heredes legitimos,*

casu dubia videri poterat testatoris voluntas , an eo casu , quo posthumus natus fuerit , sed impubes iterum deceperit , potius matri , an substituto hereditatem impuberis vacantem addicere voluerit . Certe pro matre militat 1) quod testatori fuerit chara , quia alias eam non instituisset ; 2) quod non praesumendum sit testator *luctuosam* , vt ait ICrus , hereditatem filii matris adimere voluisse , quam instituit in suam . Et hae coniecturae sufficientes viuae sunt legislatori , vt contrariam testatoris voluntatem ex iis concluderet . Hic ergo est casus singularis , ad exceptionem , quam adieci ad meam propositionem , referendus . Id quod ipse Iustinianus indicare voluisse videtur per verba : *in huiusmodi casu* . Ergo non ita in aliis huic non similibus .

Prodeat in medium lex altera . Ibi continetur quidem casus in terminis de substitutione pupillari tacita , & matre substitutum excludente . Verum lex expresse praesupponit substitutionem *a milite factam* . Militum vero iura maxime irregularia existere , praesertim in materia ultimarum voluntatum , nemo ignorat . In his nuda militis voluntas spectatur , & cessat omnis interpretatio aut supplementum legum ( FABER in Coniect . Lib . XV . cap . X . ) . Atqui dispositio l . 4 . ff . b . t . reuera est supplementum aliquod voluntatis testatoris . Ergo ad militum testamenta adipisci non debet

DD.

DD. denique auctoritatem non curio, quippe qui nulla solida ratione, sed sola aequitate duci contrarium statuunt. Verum non licet contra claram legis dispositionem ex proprio cerebro aequitatem fingere.

Quae de matre probata sunt, ea multo magis de auo & auia dici possunt. Pro matre enim posterior ratio militat, cur excludere substitutum possit, quam pro his. Si itaque mater, licet fortiori iure munera, quam quidem auus & auia, substitutum non excludit: hi multo minus excludent, aut in officiosum dicere nepotis testamentum poterunt.

M V T I A T

### §. XXXIV.

*Casu substitutionis pupillaris eveniente substitutus succedit in omnia imponeris bona, etiam matre & etiam manus exclusis.* Demonstratio est eadem, quam dedi supra ad (§. XXXII.).

### §. XXXV.

De usu huius doctrinae WESENBECKVS in *Huius do-*  
*Pandect tit. de vulg. & pupill. substit. in fine*, cui ne-  
scio quid in mentem venerit, sic habet: *Ea est hu-*  
*ius doctrinae desuetudo & insolentia, ut pigate in re* ris nostris  
ab usu nostrorum iudiciorum remorissima multum  
operae collocare. *Turpe est enim, difficiles babere*  
*nugas, & scutus labor est ineptiarum.* Huic ob-  
uiam mitto HOPPIVM tit. I. de vulg. substit. ad finem.  
*Ibi haec verba legere est: Nihil in iudicis*  
*&*

64 De pupillariter substituto heredes legitimos.

& scabinatibus Germaniae frequentius est hac substitutionum materia, prout infinita passim testantur prae*judicia*. Et mihi in manu est responsum quoddam ab Illustri ICtorum Ordine Regiae Fridericianae anno 1747. in causa substitutionis pupillaris redditum, in quo matrem in testamento impuberis recte excludi posse defenditur. Hoc totum Dissertatio-  
ni huic coronidis loco adiicerem, nisi me  
& tempus & charta de-  
ficerent.

T A N T V M.








halle, Diss., 1750. A-H





B.I.G.

Black



1950 76 41  
DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA

DE

PVPILLARITER SVBSTITVTO  
HEREDES LEGITIMOS PRAE-  
CIPVE MATREM PVPILLI  
EXCLVDENTE,

INDVLTV

ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS

PRO

SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

RITE CAPESSENDIS

D. XIV. OCTOBR. A. MDCCCL.

DISPV TABIT

PHILIPPVS IACOBVS HEISLER

ALGOIA-SVEVVS.



HALAE MAGDEBURGICAE

RECUSA IN TYPOGRAPHEO HENDELIANO

MDCCXLV.

(8)

